

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS.

<36622895280011

S

<36622895280011

Bayer. Staatsbibliothek

4e Mat. med
1771

PHARMACOPOEA BORUSSICA.

R

Editio IIda et emendata.

La Hine D.

FRANCOFURTI ET LIPSIAE

SUMPTIBUS COLLEGII MEDICI ET SANITATIS.

1801.

FCA

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

PRAEFAMEN.

Bayerische Staatsbibliothek München

Jam inde ab anno 1725, ex quo regia auctoritate nobis concessum est privilegium exclusivum, edendi Dispensatorium Borusso - Brandenburgicum, tertia haec est recensio, quam curare et luce publica donare consultum nobis visum est; non quidem, ut imitemur exempla Dispensatoriorum, quae recentius apud exteros prodierunt, quibusque justum pretium statuere non recusamus, cum sint documenti instar, quanta incrementa ceperit harum quoque rerum scientia, sed potius persuasum nobis habuimus, editionem

Dispensatorii nostri anno 1781 excusam, haud pauca medicamina, tam simplicia quam composita, genio nostro non solum minus accommodata, sed etiam superflua, complecti.

Hanc ob causam decrevimus, sublata ista, quantum potuit, medicamentorum farragine, alia remedia, experimentis chemicis et pharmaceuticis satis probata, substituere, ideoque pharmacopolis in parandis medicaminibus viam expeditiorem et tutiorem monstrare, quinimo eos liberare ab excusatione, aliqua ex parte probabili, quod superflua et inutili medicaminum copia reliquorum praestantiorum in vendendo pretium nimis augeatur, cui incommodo etiam nova Taxa medicinalis propediem promulganda occurret.

Neque vero ullo modo praetereundum est silentio, susceptum esse opus moderante summo nostro antistite, duce bellico et statuum administro Illustrissimo Comite a Schulenburg Kehnert, qui sub auspiciis Friderici Guilielmi III. patris patriae, rei medicae ac chirurgicae augendae et recte administrandae egregie summoque studio ac labore consulens et providens, selectos etiam artis peritos constituit, quorum unito studio et

labori haec pharmacopoea novam suam constitutionem et formam debet.

Brevem materiam pharmaceuticam Dispensatorio praemittendam esse existimavimus, ut simplicia, ex peregrinis praesertim regionibus ad nos adlata, eo facilius innotescant pharmaciae studiosis et pharmacopolis; novam quoque ad exemplum celeberrimorum nostra aetate Chemicorum terminologiam sequentes, ne terminorum noviorium forsan ignari, in errores incidant, non solum hactenus usitata nomina retinuimus, sed etiam indicem pharmacopoeae junximus, cujus ope pharmacopolae formulas praescriptas medicorum facili negotio intelligent.

Quod remedia attinet arte chemica praeparata et composita, illis summa fides ac integritas denegari nequit, cum a viris in hac arte versatissimis non una vice, sed pluries, omni studio ac solertia elaborata prodierint.

In remediis compositis, Opium continentibus, semper proportionem indicavimus, nec minus certum rectumque medicaminum tam solidorum quam fluidorum pondus constituimus, ne error, immo vitae periculum inde enascatur.

Calci operis Selectum medicamentorum adiecimus, in utilitatem minorum urbium accommodatum, experientia edocti, frustra peti a pharmacopolis minorum urbium, ut pharmacopolia tam copiose instruant, quam illi, qui in urbibus majoribus artem pharmaceuticam exercent.

Fatemur denique, non pauca in hoc Dispensatorio superesse remedia tam simplicia quam composita, quae quidem oblivioni jure tradi potuissent, sed opinioni aliquid dandum erat.

Labore nostro L. B. utere et conatibus nostris fave.

Berolini d. 12. Augusti 1799.

Pondera et Mensurae.

Pondera, in officinis nostris usitata, desumta sunt a Libra Norica, medicinali sic dicta; quarum XXX aequant XLVI Marcas Colonienses.

Libra	continet	Uncias XII.
Uncia	——	Drachmas VIII.
Drachma	——	Scrupulos III.
Scrupulus	——	Grana XX:|

Mensura Berolinensis respondet Aquae Unciis XXXVI.

MATERIA PHARMACEUTICA.

Acetum. *Essig.*

Acetum crudum parari potest ex quovis liquore vinoso, fermentationi acetosae subjecto. Sit sincerum, gustu et odore gratum et tantae aciditatis, ut Unciae duae sufficiant ad Kali carbonici Drachmam perfecte saturandam. Adulteratio aceti, acido sulphurico effecta, detegitur, si adjecta baryta muriatica progignit barytam sulphuricam, in acido nitrico diluto haud solubilem.

Adeps suilla. *Schweineschmalz.*

Sus Scrofa *).

Pinguedo abdominalis recens, odoris plane expers.

Aerugo. Viride aeris. *Grünspan.*

Cuprum aceticum, cupro carbonico mixtum, e viridi caerulescens. Praestat praeparatum in officinis Montepessulanis.

*) Nomina animalium et vegetabilium, auctoris nomine non consignata, in Systemate Linnaeano jam recepta sunt.

Aloë lucida. *Glänzende Aloe.*

Aloë spicata. Frutex succulentus utriusque Indiae et Africae meridionalis.

Succus foliorum inspissatus, ex India orientali allatus, et quidem optima Aloës sic dictae Socotrinae species. Sit splendens, pellucida, coloris fusci, sub tritura crocei, saporis amaro-nauseosi et odoris submyrrhini.

Alumen crudum. *Alaun.*

Sal triplex acidulum octaëdricum, compositum ex Alumina, Kali et Acido sulphurico. Album sit atque subpellucidum, et ferro non inquinatum. Paratur nobis ex minera Freienwaldensi.

Ambra grisea. *Grauer Ambra.*

Concrementum ex nigro-cinereum, mari innatans, praesertim Africam et Asiam meridionalem alluenti. Ambra optima levis est: digitis fricata mox mollescit, et tamen acui candefactae non adhaeret. Fluit leni calore instar olei; accensa spumescit et gratum edit odorem. In spiritu vini fere omnis solvitur.

Ammoniacum, vulgo Gummi ammoniacum. *Ammoniak-Gummi.*

Planta adhuc ignota, forsitan umbellifera.

Gummi-resina tenax, digitis agitata mollescens, odore ingrato et sapore amaro nauseoso praedita. Prostat, vel *in granis* angulatis variae magnitudinis, intus albidis atque inter se plerumque conglutinatis, vel *in massis* rotundis; tum granula albida sub-

stantiae molliori fuscae immixta sunt. Advehitur ex Abyssinia, Libya, Aegypto meridionali, et praesertim ex deserto Barca.

Ammonium muriaticum. ſ. Sal Ammoniacum. *Salmiak.*

Sal Ammoniacum crudum in Aegypto ex fuligine stercorum exustorum sublimatur; in variis autem Europae regionibus ex partibus constitutivis sibi invicem diversimode iunctis parari solet.

Amygdalae. *Mandeln.*

Amygdalus communis. Arbor Europae meridionalis.

Amygdalae amarae. *Bittere Mandeln.* Semina subamara, varietatis cujusdam amygdali communis fructu minore.

Amygdalae dulces. *Süſse Mandeln.* Semina amygdali communis fructu majore, sapore grato et dulci praedita.

Amygdalae rancidae sapore et maculis flavis intus conspicuis innotescunt.

Amylum. *Kraftmehl.*

Triticum hybernum et Triticum turgidum. Plantae biennes cultae.

Pulvis subtilissimus seminum, post elutionem principii glutinosi et saccharini per aquam frigidam, subsidens.

Argentum. *Silber.*

Metallum album, ductile, via sicca oxygenium respuens in acido nitrico solubile, oxydatum cum acido muriatico connubium indissolubile contrahens.

Arsenicum album. *Weiſser Arsenik.*

Arsenicum oxydatum sublimando paratum massam refert scoriformem, compactam, albam, recens subpellucidam, tempore opacam. In igne fumi albi instar avolat, odorem alliaceum spargens.

Asa foetida. *Stinkender Asand.*
Ferula Asa foetida. Planta perennis Persiae.

Gummi-resina tenax, vel ex flavo fusca, vel ex fusco rosea. Immixta sunt nonnunquam granula subdiaphana. Sapor ex acri amaricans est, odor autem maxime nauseosus, odori alliaceo affinis. Lactis instar ex radice transversim secta effluit in superficie sauciata.

Asphaltum ſ. Bitumen judaicum. *Judenpech. Schlackiges Erdpech.*

Bitumen solidum ex fusco nigrum, friabile atque in fractura nitens. *Optimum* est, quod mari mortuo, mari rubro et aliis quibusdam Asiae meridionalis et Europae lacubus asphalticis innatat. *Vulgare* in fodinis Galliae aliarumque Europae provinciarum occurrit.

Baccae Berberidis. *Berberis-Beeren.*
Berberis vulgaris. Frutex Germaniae.

Baccae oblongae, rubrae, peracidae.

Baccae Lauri. *Wacholder-Beeren.*
Juniperus communis. Arbor aut frutex Europae borealis.

Fructus baccati nigri, resinosi, odore graveolente et sapore subamaro praediti.

Baccae Lauri. *Lorbeeren.*
Laurus nobilis. Arbor Europae meridionalis.

Fructus recentes nigricantes, oleosi, aromatici.

Balsamum Copaivae. *Copaiva Balsam.*
Copaifera officinalis. Arbor Americae meridionalis, in Brasilia frequens.

Ex arbore stillans pellucidum est, flavescens, odore aromatico et sapore amaricante non ingrato praeditum. Adulteratur praesertim terebinthina et oleo amygdalarum dulcium. Terebinthina, balsamo ferro candenti insperso, odore proprio sese prodit; oleum amygdalarum autem, balsamo in spiritu vini soluto, in fundo remanet.

Balsamum Indicum s. Peruvianum nigrum. *Schwarzer Peruanischer Balsam.*
Myroxylon peruiferum. Arbor Americae meridionalis, praesertim in regno Peruviano frequens.

Sapore praeditum est ex acri aromatico mixto et odore grato benzoino, quem etiam dispergit carbonibus aut ferro ignito injectum. Obtinetur coctione ramulorum in aqua. Bullienti aquae instillatum separatur in partem leviorem, quae aquae pellicu-
lam superinducit, et in partem graviorem, quae

fundum vasculi petit. Solvitur in spiritu vini; connubium cum oleis plane respuens. Acidum sulphuricum, additis aliquot balsami peruviani nigri guttulis, colore tingitur intense coccineo.

Balsamum Peruvianum album. *Weisser Peruanischer Balsam.* Ex arbore sponte destillans rarissimum est.

Baryta sulphurica nativa s. Spathum ponderosum. *Schwerspath.*

In metallifodinis Herciniae, Saxoniae aliisque venas implet. Eligantur frustula alba, lamellosa, heterogeneis minus inquinata. Baryta acido sulphurico nupta in aqua plane indissolubilis est.

Benzoë s. Gummi Benzoës s. Asa dulcis. *Benzoë.*

Styrax Benzoë Dryanderi? *Arbor Indiae orientalis.*

Resina e ramis exsudans, subfusca, granulis albis immixtis variegata, friabilis, nitens, saporis subacris et odoris grati, praesertim si liquatur.

Bismuthum, vulgo Marcasita. *Wismuth.*

Metallum fragilissimum, ex albo subrubicundum, lamellis compositum, leni igne admoto liquescens, intensiore autem actum in vase clauso volatile. Acido nitrico nuptum per aquam sub forma oxydi albi praecipitatur.

Bole-

Boletus igniarius. *Feuerschwamm.*

Boletus igniarius. ***Per totam Germaniam frequentissimus.***

Fungus tenuissime porosus, superne cinereus, margine albescens, inferne albidus. Quercubus, Betulis et Fagis adhaeret.

Boletus Laricis s. Agaricum. *Lärchenschwamm.*

Boletus Laricis Jacquini. ***In Austria et Sarmatia frequens; forsan varietas Boleti igniarii?***

Fungus suberosus tubulis subtilissimis instructus, recens subaurantiacus. Siccatus, extus cinereus, intus albus, atque in tenues laminas facile scissilis est, et tunc *Agaricum praeparatum* nominatur.

Boletus Salicis. *Weidenschwamm.*

Boletus suaveolens. ***In Europa boreali frequens.***

Fungus inaequaliter porosus, salicibus accrescens, et odorem aromaticum spargens, praesertim post pluviam.

Bolus armenia. *Armenischer Bolus.*

Argilla ex luteo rubra, ferro oxydato turgida. Quae in Germania, Gallia vicinisque regionibus effoditur, parum differt a genuina ex Armenia allata.

Borax. *Borax.*

Tincal, Asiae mediae sal nativum, e Natro et Acido boracico constans, peracta depuratione et crystal-

lisatione, nomine Boracis insignitur. Albus sit, crystallinus et leni calore fusilis.

Cacao. *Cacaobohnen.*

Theobroma Cacao. ***Arbuscula in America meridionali frequenter culta***

Semina oleoso-farinacea, ex fusco nigricantia, seminibus Viciae Fabae similia.

Calcaria, vulgo Calx. *Kalkerde.*

Terra propria, acido carbonico juncta, quo amisso in aquae partibus quingentis solubilis fit. Cum Acido sulphurico gypsum consituit. Eligatur heterogeneis libera, qualem praebent Marmor album, Testae Ostrearum, eaet.

Camphora. *Kampher.*

Laurus Camphora. ***Arbor Indiae orientalis, praesertim in Japonia frequens.***

Camphora cruda constat massulis globulosis, flavis, subluteis et cinereis, quae destillatione ramulorum et foliorum cum aqua, a reliquis Lauri Camphorae partibus constitutivis separatae, statim sublimantur.

Camphora depurata, nova sublimatione Camphorae crudae parata, concrescit in massas magnas orbiculares, subtus concavas. Optima nivea est et glaciei instar subdiaphana. Super ignem liquata olei instar fluit et accensa deflagrat omnis. Odorem proprium fragantissimum spargit.

Canella alba. *Weiſser Zimmet.*

Winterania Canella. ***Arbor Indiae occidentalis, in Jamaica frequens.***

Cortex aromaticus, in superficie externa passim vel ex albo flavescens, vel virescens, vel ex fusco rubens, subtus autem albicans.

Cantharides. *Spanische Fliegen.*

Meloë vesicatorius ſ. *Lytta vesicatoria* Fabricii.

Inſecta coleoptera oblonga, ex viridi splendentia, antennis nigris filiformibus, mense Junio et Julio, dum Fraxinum, Syringam et Ligustrum gregarie depascunt, colligenda et leniter siccanda.

Cardamomum minus. *Kleine Cardamomen.*

Amomum Cardamomum. ***Planta perennis palustris Indiae orientalis.***

Fructus triquetri, utrinque acuminati, longitudine semipollicari, pericarpio fragili ex luteo subfusco, et seminibus aromaticis nigricantibus, instructi.

Caricae ſ. Ficus passae. *Feigen.*

Ficus Carica. ***Arbor Europae meridionalis et Orientis.***

Thalami incrassati succulenti, principio saccharino et mucilaginoso imbuti, semina includentes.

Caryophylli. *Gewürznelken.*

Caryophyllus aromaticus ſ. *Eugenia caryophyllata* Thunbergii. *Arbor Indiae orientalis, in insulis Moluccis frequens.*

Colliguntur flores vix aperti, qui, claviculis forma similes, oleo aethereo turgent. Leniter siccati ex fusco nigricant, et non solum saporem acrem aromaticum, sed et odorem fragrantissimum fundunt.

Cassia cinnamomea. *Zimmet-Caſsia.*

Laurus Cassia. Lauri Cinnamomi forsan varietas?

Cortex internus ramorum, odore et sapore aromatico ad Cinnamomum acutum quidem proxime accedens, sed colore intensiore, crassitie, et sapore acriore distinguendus.

Cassia Fistula. *Rohr-Caſsia.*

Cassia Fistula. Arbor Arabiae et utriusque Indiae.

Fructus siliquosi, nigricantes, cylindrici, subincurvati, farcti pulpa dulci nigerrima, quae semina involvit, dissepimentis transversis distincta. Praestant siliquae longiores ex India orientali allatae, quarum pulpa, magis dulcis, tardius corrumpitur.

Castoreum. *Bibergeil.*

Castor Fiber.

Humor sebaceus, odoris nauseosi et saporis amaricantis, propriis in saccis, qui abdomini inter genitalia et anum adjacent, secretus. In saccis re-

centibus albus et spissus, in siccatis fumo, quales plerumque occurrunt, fuscus.

Castoreum Sibiricum s. Russicum, cui etiam Polonicum, Borussicum et Germanicum annumeratur, in saccis majoribus, ovi gallinacei magnitudinem aequantibus, intertextum est membranulis tenuioribus. Omne Castoreum, ex aliis terrarum regionibus allatum, antecellit.

Castoreum Canadense, ex America septentrionali advectum, continetur saccis minoribus magisque nigris, tunicae cellulosae tenaciori interiacens.

Catechu, vulgo Terra Japonica. *Catechu.*

Mimosa Catechu. Arbor Bengalensis.

Extractum aquosum ligni Mimosae Catechu, ad siccitatem inspissatum. Color sit nigrescens, non nigerrimus, sapor adstringens.

Cera. *Wachs.*

Apis mellifica. Insectum hymenopterum.

Materia vegetabilis propriae indolis.

Cera flava. *Gelbes Wachs.* Cera cruda, ab apibus collecta, et a melle separata.

Cera alba. *Weisses Wachs.* Cera per aprica-tionem, sub frequente aquae adspersione, albata.

Cerasa acida. *Saure Kirschen.*

Prunus Cerasus; varietas, quae vernacula schwarze saure Kirsche *audit. Arbor in hortis frequentissima.*

Drupae nigrae, grata aciditate praeditae.

Cerasa nigra. *Schwarze Kirschen, Vogelkirschen.*

Prunus avium. Arbor Germaniae praesertim meridionalis.

Cerussa alba. *Bleyweiſs.*

Plumbum carbonicum, paratum dum plumbum metallicum vapore aceti corroditur.

Cetaceum, vulgo Sperma Ceti. *Wallrath.*

Physeter Macrocephalus. Oceani incola.

Liquor unguinosus ventriculorum cerebri, qui, macerando lixivio kalino diluto, exprimendo et lavando, ab adipe oleosa separatus, in massam induratur albissimam, lamellosam, subpellucidam, nitentem, et in spiritu vini calido solubilem.

Coccionella. *Cochenille.*

Coccus Cacti. Insectum hemipterum.

Insecta parva, advecta ex regno Mexicano, ubi Cactum cochenilliferam inhabitant; siccata granula referunt atro-purpurea, striis transversis rugosa et quasi pruina albida aspersa. Pulvis ex contritis refert colorem coccineum.

Colocynthis. *Coloquinthen.*

Cucumis Colocynthis. *Planta annua orientalis.*

Fructus pallidus, amarissimus, magnitudine et figura pomo similis, pulpa sicca repletus.

Colophonium. *Geigenharz.*

Pinus sylvestris. *Arbor Europae borealis frequentissima.*

Resina diaphana, quae super ignem liquata colorem ex succineo aurantiacum nanciscitur.

Conchae. *Austerschalen.*

Ostrea edulis. *Maris Germanici incola.*

Testa, ab omni sorde depuratae.

Cornu cervi. *Hirschhorn.*

Cervus Elaphus.

Cortex Angusturae. *Angusturarinde.*

Brucea ferruginea? l'Heritier; *aut Magnoliae ſpecies? Frutex Americae meridionalis, in Insula Trinidad frequens.*

Cortex facie externa ex pallido albicans, facie interna autem ex luteo subfuscus, saporis aromatici acris et praesertim intense amari, atque odoris ingrati.

Cortices Aurantiorum. *Pomeranzenschalen.*

Citrus Aurantium. *Arbor in Europa meridionali et in Oriente frequens.*

Cortex fructus maturi, amaritie non ingrata gaudens.

Cortices Aurantiorum Curassaviensium.

Curassao Pomeranzenschalen.

Citrus Aurantium, var. Curassaviensis. Arbor Indiae occidentalis et Americae meridionalis.

Cortex fructus maturi, tenuitate et amaritie corticibus Aurantiorum Europaeorum praestans.

Cortex Caribaeus. *Caraibische Rinde.*

Cinchona Caribaea. Arbor Indiae occidentalis et praesertim Jamaicae.

Cortex subfuscus amaro-acris.

Cortex Cascarillae. *Cascarillrinde.*

Croton Cascarilla. An potius *Clutia Eluteria*? *Frutex calidarum Americae meridionalis regionum, in Peru et Paraguay frequens.*

Cortex extus cinereus, subtus ex fusco ferrugineus, fragilis et in fractura nitens; prunis injectus gratum spargens odorem.

Cortex Chinae fuscus s. officinalis; Cortex Peruvianus, olim Cortex Kin-Kinae, *Gewöhnliche Chinarinde.*

Cinchona officinalis. Arbor Peruviana, nuper etiam in silvis provinciae, cui nomen Terra Firma est, detecta.

Cortex ex amaro subaromaticus et subadstringens. Appareant in superficiebus frustulorum corticis diffracti particulae ad solem splendentes.

Cor-

Cortex Chinae flavus ſ. regius. *Gelbe Chinarinde, Königs Chinarinde.*

Cinchonae species nondum satis definita.

Cortex ex eadem regione allatus, crassior et magis lignosus, qui colore cinnamomeo et principio amaro subaromatico omnibus aliis Cinchonae corticibus antecellit.

Cortex Chinae ruber. *Rothe Chinarinde.*

Cinchonae species nondum satis definita.

Cortex ex fusco ruber, cujus frustula ponderosiora plerumque etiam crassiora occurrunt. Principio resinoso et adstringente prae caeteris Cinchonae corticibus eminet.

Cortex Geoffreae Surinamensis. *Surinamische Geoffreenrinde.*

Geoffrea inermis Swarzii. *Arbor Americae meridionalis, in nemoribus Surinamiae frequens.*

Cortex crassus fibrosus, externe, ubi Lichenibus cinereis tegitur, ex fusco nigricans, interne subfuscus, odoris, si recens est, nauseoso-ingrati.

Cortex Granatorum ſ. Malicorium. *Granatapfelschale.*

Punica Granatum. Arbor Europae meridionalis, praesertim in Hispania frequens.

Cortex fructus ex fusco rubens, principio adstringente commendatus.

Cortex Guajaci. *Guajakrinde.*

Guajacum officinale. Arbor Indiae occidentalis.

Cortex tenuis, acris, ex lamellis cinereis aut fuscis compositus, superficie externa ex cinereo nigricante.

Cortex Hippocastani. *Roſskastanienrinde.*

Aesculus Hippocastanum. Arbor in Germania frequens.

Cortex ramorum peramarus, adstringens, subluteus, epidermide superinductus ex rubro fusca.

Cortex Mezerei. *Seidelbastrinde.*

Daphne Mezereum et Daphne Laureola. Frutices in Gallia, Hispania et Germania meridionali, frequentes.

Cortex tenuis, striatus, peracris, subluteus, epidermide ex viridi fusca superinductus.

Cortex Quassiae. *Quaſsiarinde.*

Quassia excelsa. Arbor Americae meridionalis, in Jamaica et Guiana frequens.

Cortex tenuis, fragilis, peramarus, ex albo cinereus.

Cortex Quercus. *Eichenrinde.*

Quercus Robur. Arbor Germaniae indigena.

Cortex Salicis laureae. *Lorbeerweidenrinde.*

Salix pentandra. ***Arbor in Germania, praesertim meridionali, frequens.***

Cortex tenuis, flexilis, extrorsum fuscus, principio adstringente, et amaritie non ingrata, praeditus.

Cortex Simarubae. *Simarubarinde.*

Quassia Simaruba. ***Arbor Americana, in Guiana frequentissima.***

Cortex radicis fibrosus, ex albo lutescens, peramarus.

Cortex Ulmi interior. *Ulmenrinde, Rüsterrinde.*

Ulmus campestris. ***Arbor Germaniae.***

Cortex internus subfuscus, subacris, ex lamellis tenuibus compositus.

Crocus. *Saffran.*

Crocus sativus, var. autumnalis, f. *Crocus autumnalis* Hoffmanni. ***Planta perennis, in Europa meridionali et in Oriente sponte nascens, nec non in Anglia, Gallia, Austria et aliis Germaniae meridionalis provinciis, culta.***

Stigmata e floribus resecta et siccata, versus apicem latiora, principio luteo-tinctorio ditissima.

Cubebae. *Cubeben.*

Piper Cubeba, f. *Piper caudatum* Bergii. ***Frutex Indiae orientalis.***

Fructus pedunculati, globosi, amaro-aromatici.

Cuprum. *Kupfer.*

Metallum ductile, colore rufum, quod Acido carbonico in oxydum viride mutatur.

Elemi, vulgo Gummi Elemi. *Oehlbaumharz.*

Amyris Elemifera. Arbor Americae meridionalis.

Resina lutea, subpellucida, digitis agitata tenax, odorem Foeniculi quodammodo spirans. Ex trunco arboris vulnerato liquida destillans mox induratur.

Euphorbium. *Euphorbium.*

Euphorbia officinarum, et verisimiliter nonnullae aliae Euphorbiae species. *Frutices Africae meridionalis.*

Gummi-resina flavescens, saporis acerrimi urentis, quae prunis injecta odorem spargit non ingratum. Frustula variae sunt magnitudinis, plerumque angulata, quia in ipsis spinis fruticis induruerunt.

Fel Tauri. *Ochsengalle.*

Bos Taurus domesticus.

Ferrum. *Eisen.*

Metallum ex cinereo nigrescens, magneti obediens, quod, acidis solutum, principio adstringente adhibito, nigricans praecipitatur.

Flores Arnicae. *Wohlverleihblumen.*

Arnica montana. Planta perennis Germaniae.

Flores compositi lutei, ex acri amari, digitis confricati sternutationem moventes, squamulis calycinis brevioribus non setosis, apice purpureis.

Flores Chamomillae Romanae. *Römische Kamillen.*

Anthemis nobilis. Planta perennis Europae meridionalis.

Flores compositi radiati, receptaculo fere plano, flosculis disci flavis, aromaticis, flosculis autem radii numerosis, brevibus, insipidis.

Flores Chamomillae vulgaris. *Gemeine Kamillen.*

Matricaria Chamomilla. Planta annua, in Germania frequens.

Flores compositi radiati, receptaculo conico, flosculis disci flavis, amaris et fragrantibus, flosculis radii albis, reflexis, insipidis.

Flores Convallariae majalis, ſ. Flores Liliorum convallium. *Mayblumen.*

Convallaria majalis. Planta perennis silvatica Germaniae.

Corollae campanulatae, albae, subaromaticae.

Flores Granati ſ. Balaustia. *Granatblumen.*

Punica Granatum.

Flores, petalis coccineis et calycibus coriaceis rubris conspicui, principio adstringente praediti.

Flores Lavendulae. *Lavendelblumen, Spieke.*

Lavandula Spica. *Fruticulus Galliae meridionalis.*

Corollae cylindricae caeruleae, odoris aromatici gratissimi.

Flores Malvae arboreae. *Pappelrosen.*

Alcea rosea. *Planta biennis, origine orientalis, in hortis Germaniae culta.*

Corollae mucilaginosae, atrofuscae.

Flores Malvae vulgaris. *Gemeine Pappelblumen.*

Malva rotundifolia. *Planta annua, in ruderatis frequentissima.*

Malva silvestris. *Planta perennis Germaniae.*

Flores mucilaginei, corollis vel albis, vel caerulescentibus, vel rubicundis, venis aut rubris aut caeruleis pictis.

Flores Meliloti citrini. *Melilotenblumen.*

Trifolium Melilotus officinalis, var. *floribus citrinis.* *Planta biennis, per totam Germaniam frequens.*

Rami florentes, floribus luteis, odorem proprium aromaticum spirantibus.

Flores Millefolii. *Schafgarbenblumen.*

Achillea Millefolium. *Planta perennis frequentissima, floribus albis et rubicundis varians.*

Flores compositi exigui, saporis amari subacris, et odoris subaromatici.

Flores Rhoeados. *Klatschrosen.*

Papaver Rhoeas. Planta annua, inter segetes frequentissima.

Petala papaverina rubra, ob odorem subvaporosum ingrata.

Flores Rosarum incarnatarum. *Rothe Rosen.*

Rosa centifolia. Frutex in hortis frequens.

Petala pallide rubentia, odoris grattissimi et saporis subadstringentis.

Flores Rosarum rubrarum. *Essigrosen, Damascener Rosen.*

Rosa Gallica ſ. Damascena. Frutex Galliae meridionalis, apud nos hortensis.

Petala ex fusco rubentia, sapore adstringente praedita.

Flores Sambuci. *Fliederblumen, Holunderblumen.*

Sambucus nigra. Arbor per totam Germaniam frequentissima.

Cymae florentes, floribus albis subvaporosis.

Flores Tanaceti. *Rainfarnblumen.*

Tanacetum vulgare. Planta Germaniae perennis, ad vias et inter segetes frequens.

Flores compositi tubulosi, flavi, sapore amaro et odore aromatico nauseoso praediti.

Flores Verbasci. *Wollkrautblumen.*

Verbascum Thapsus. Planta biennis, in solo arenoso frequens.

Corollae mucilaginosae luteae, odoris rosacei.

Flores Violarum. *Blaue Veilchen.*

Viola odorata. Planta perennis Germaniae, in hortis frequenter culta.

Flores intense caerulei, odore grati.

Folia Aurantii. *Pomeranzenblätter.*

Citrus Aurantium.

Folia ovata, appendice cordata, ad basin aucta, saporis amari.

Folia Ilicis Aquifolii. *Stechpalmenblätter.*

Ilex Aquifolium. Frutex Germaniae sempervirens.

Folia ovata, angulata, dentato-spinosa, coriacea, saturate viridia, saporis amaricantis-subacris.

Folia Lauro-Cerasi. *Kirschlorbeerblätter.*

Prunus Lauro-Cerasus. Arbor Orientis et Europae meridionalis.

Folia ovata, subintegra, nitida, coriacea, quae siccata fere insipida inveniuntur.

Folia Quercus. *Eichenblätter.*

Quercus Robur.

Folia

Folia Sennae. *Sennesblätter.*

Cassia Senna. Frutex in Europa meridionali et in Oriente frequens.

Folia ovato-acuta, inaequalia, longitudine semipollicari, saporis amaro acris et plerisque nauseosi. Optima sunt folia Sennae Alexandrinae, quae colore gaudent ex flavo viridi.

Folia Uvae ursi. *Bärentraubenblätter.*

Arbutus Uva ursi. Fruticulus Germaniae semper-virens.

Folia obovata, saporis adstringentis; in superficie inferiori, a foliis Vaccinii Vitis Ideae subtus punctatis, reticulo facile distinguenda.

Formicae. *Ameisen.*

Formica rufa.

Insectum hymenopterum, Acido volatile proprio praeditum.

Fructus Mororum. *Schwarze Maulbeeren.*

Morus nigra. Arbor originis sinicae, in Europa culta.

Baccae compositae nigrescentes, succo acidulo grato turgidae.

Fructus Prunorum. *Pflaumen.*

Prunus domestica. Arbor Germanicae, in pomariis frequens.

Drupae oblongae nigrescentes, pruina caerulea aspersae, quae pulpam subdulcem largiuntur.

Fructus Ribium rubrorum. *Johannisbeeren.*

Ribes rubrum. *Frutex Germaniae, in hortis cultus.*

Baccae globosae, rubrae, subdiaphanae, succo acido grato turgentes.

Fructus Rubi Idaei. *Himbeeren.*

Rubus Idaeus. *Frutex Germaniae, in vinetis et hortis cultus.*

Baccae compositae, subrotundae, rubentes, succo subacidulo gratae.

Gallae. *Galläpfel.*

Quercus Cerris. *Frutex orientalis, praesertim in Syria frequens.*

Tumores morbosi foliorum, a Cynipe foliorum Quercus, insecto hymenoptero, punctura producti, globosi, tuberculati, principio adstringente uberrime repleti. Praeferuntur ex Aleppo allatae, quae colore ex nigro caerulescente innotescunt.

Glandes Quercus. *Eicheln.*

Quercus Robur.

Fructus maturi absque cupulis.

Galbanum s. Gummi Galbanum. *Mutterharz.*

Bubon Galbanum. *Planta perennis umbellifera, in Arabia, Syria, Mauritania et India orientali sponte crescens.*

Gummi-resina, granis ex albo lutescentibus, sibi invicem vel agglutinatis, vel massae molliori luteae

immixtis, composita. Sapore amaro acri, et odore gravi, plerisque ingrato, praedita est, atque tempore fusca redditur. Fluit ex trunco, prope radicem transversim secto, mox indurescens.

Gummi Mimosae s. Gummi arabicum. *Arabisches Gummi, Senegal-Gummi.*

Mimosa nilotica et Mimosa Senegal. ***Arbores, quae in variis Africae mediae regionibus frequenter occurrunt.***

Gummi purissimum, ex cortice exsudans, albicans aut lutescens, subdiaphanum, et diffractum nitens.

Gummi Tragacanthae. *Traganth.*

Astragalus creticus Lamarck. ***Frutex in insulis Archipelagi et in Oriente sponte nascens.***

Substantia gummeo-mucilaginosa, alba, vel sponte ex fruticulis exsudans, vel ex vulnerato cortice stillans, quae condensata frustula incurvata format.

Gutti s. Gummi Guttae. *Gummigutt.*

Stalagmitis Cambogioides Murrayi s. *Guttifera vera* Koenigii. ***Arbor Indiae orientalis.***

Succus induratus gummeo resinosus, flavus, opacus, splendens, ex acri subdulcis. Exsudat vel ex ramis resectis, vel ex cortice arboris vulnerato.

Helmintochorton. *Wurmmoos.*

Conferva Helmintochorton. ***In mare mediterraneo, ad littus Corsicae frequens.***

Conferva subfusca, dichotoma, sapore subsalso nauseoso et odore ingrato praedita.

Herba Abrotani. *Eberraute.*

Artemisia Abrotanum. Planta perennis Europae meridionalis et Orientis, nobis hortensis.

Herba amaro-aromatica, foliis multipartitis, ex viridi albescentibus.

Herba Absinthii. *Wermuth.*

Artemisia Absinthium. Planta perennis frequentissima.

Herba florens amaro-aromatica, floribus compositis exiguis, subglobosis, pendulis, foliolis lobatis, tomento albo obsitis.

Herba Aconiti. *Eisenhütlein.*

Aconitum Napellus et Aconitum Cammarum. Plantae perennes in Sudetibus, Hercynia et Austria frequentes, in hortis cultae.

Folia palmata, quinquepartita, lobis dissectis, sapore acri praedita.

Herba Althaeae. *Eibischkraut, Altheekraut.*

Althaea officinalis. Planta perennis Germaniae.

Folia triangularia, tomento cinereo mollissimo tecta, quae multam continent mucilaginem.

Herba Anagallidis. *Gauchheil.*

Anagallis arvensis, var. flore phoeniceo f. *Anagallis phoenicea* Hoffmanni. *Planta annua agrestis Germaniae.*

Herba humilis ramosa, floribus rubris, foliis parvis ellipticis.

Herba Arnicae. *Fallkraut, Wohlverleih.*

Arnica montana.

Folia ovata, superficie utraque hirta, margine integerrimo, saporis subacris subamari.

Herba Basilici. *Basilienkraut.*

Ocymum Basilicum. Planta annua Persiae et Indiae orientalis; nobis hortensis.

Herba ramosa, interdum purpurascens, foliis ovato-acutis, integris, glabris, punctatis, gratissimo odore gaudens.

† Herba Belladonnae. *Tollkirschenblätter, Belladonnablätter.*

Atropa Belladonna. Planta perennis Europae meridionalis, in hortis medicis culta.

Folia magna, petiolata, ovato-acuta, intense viridia, odoris narcotici.

Herba Cardui benedicti. *Cardobenedictenkraut.*

Centaurea Benedicta. Planta annua, in insulis Archipelagi frequens, quae in hortis medicis colitur.

Herba florens peramara, floribus compositis tubulosis luteis; calyce, cum foliis adjacentibus, ope texturae arachnoideae, cohaerente.

Herba Centaurii minoris. *Tausendgüldenkraut.*

Gentiana Centaurium s. *Chironia Centaurium* Curtis. *Planta annua Germaniae.*

Herba florens, floribus rubentibus, foliis ovatis, ob amaritiem acrem celebris.

Herba Chenopodii ambrosiaci ſ. Botryos Mexicanae. *Mexicanisches Traubenkraut.*

Chenopodium ambrosioides. Planta annua Mexicana, nobis hortensis.

Herba florens odoris ambrosiaci, racemis foliatis simplicibus, foliis lanceolatis dentatis.

Herba Cicutae virosae. *Wasserschierling, Wüterich.*

Cicuta virosa. Planta perennis aquatica Germaniae.

Folia composita, foliolis oblongis, acutis, margine dentatis, dentationibus apice albidis, quae, recenter collecta, odorem spirant gravem.

Herba Clematidis erectae ſ. Flammulae Jovis. *Brennkraut.*

Clematis erecta. Planta perennis Germaniae meridionalis.

Herba florens, peracris, corollis albis tetrapetalis aut pentapetalis, foliis pinnatis, foliolis ovato-lanceolatis, integerrimis.

Herba Cochleariae. *Löffelkraut.*

Cochlearia officinalis. Planta annua, ad littora maritima Europae borealis frequens; apud nos in hortis culta.

Herba florens, principio acri volatili praedita; foliis radicalibus subrotundis, caulinis oblongis, sinuatis.

Herba Conii maculati s. Cicutae maculatae. *Erdschierling.*

Conium maculatum. Planta biennis in Germania frequens.

Herba odoris nauseoso-vaporosi, foliis compositis, foliolis lanceolatis incisis glabris, caule et ramis majoribus maculis purpureis aspersis.

Herba Digitalis. *Rother Fingerhut.*

Digitalis purpurea. Planta silvestris montana Helvetiae et Germaniae, in hortis quoque culta.

Folia elliptica, rugosa, hirsuta, margine serrata, saporis amari acris.

Herba Farfaraе. *Huflattig.*

Tussilago Farfara. Planta perennis Germaniae.

Folia subcordato-angulata, denticulata, saporis subadstringentis subamari.

Herba Fumariae. *Erdrauch.*

Fumaria officinalis. Planta annua, inter segetes frequens.

Herba peramara, foliis compositis, foliolis trilobatis.

Herba Gratiolae. *Gnadenkraut.*

Gratiola officinalis. Planta perennis pratensis et riparia Germaniae.

Herba florens, amaro-acris, foliis lanceolatis serratis, glabris, floribus ringentibus, subalbidis, diandris.

Herba Hederae terrestris. *Gunderman.*

Glecoma hederacea. *Planta perennis frequentissima.*

Folia reniformia, crenata, saporis subaromatici.

Herba Hyoscyami. *Bilsenkraut.*

Hyoscyamus niger. *Planta annua, in ruderatis et ad vias frequens.*

Folia semiamplexicaulia, sinuata, hirsuta, odoris summe narcotici.

Herba Hyperici. *Johanniskraut.*

Hypericum perforatum. *Planta perennis pratensis et silvestris Germaniae.*

Herba florens subacris, foliis ovato-obtusis, pellucido-punctatis, petalis luteis oblique truncatis, crenulatis, puncto atro inter crenam notatis.

Herba Hyssopi. *Isop.*

Hyssopus officinalis. *Fruticulus Europae meridionalis, nobis hortensis.*

Herba aromatica, foliis lanceolatis glabris.

Herba Ledi palustris. *Wilder Rosmarin, Porsch.*

Ledum palustre. *Fruticulus in cespitosis et uliginosis Germaniae frequens.*

Folia lineari-lanceolata, superficie superiori glabra, saturate viridi, inferiori autem hirsuta, fusca, sapore amaro adstringente et odore gravi praedita.

Herba

Herba Lichenis Islandici. *Isländisches Moos.*

Lichen Islandicus. In Sudetibus, Hercynia, monte Bructero, aliisque Germaniae montibus frequens.

Lichen amaricans, coriaceus, sinuatus, lacunosus, superficie superiori cinereus, inferiori autem fuscus, multa mucilagine repletus.

Herba Linariae. *Leinkraut.*

Antirrhinum Linaria. Planta perennis frequens.

Herba florens, foliis lanceolato-linearibus, floribus luteis, saporis subamari et odoris subvaporosi.

Herba Majoranae. *Majoran.*

Origanum Majorana. Planta annua Europae meridionalis, in hortis culta.

Herba aromatica, foliis ovatis obtusis, ex viridi albicantibus.

Herba Malvae. *Pappelkraut, Käsepappeln.*

Malva rotundifolia.

Folia cordato-orbiculata, subquinqueloba, mucilaginea.

Herba Mari veri. *Amberkraut.*

Teucrium Marum. Fruticulus Europae meridionalis et Orientis, praesertim in Hispania et Syria frequens.

Herba aromatica, fragrans, foliis ovatis petiolatis, superficie inferiore, una cum petiolis et ramulis, tomento albo superinductis, floribus racemosis purpureis.

Herba Marrubii. *Weiſser Andorn.*
Marrubium vulgare. Planta perennis, in ruderatis frequens.

Herba amara, hirsuta, ex viridi albicans, foliis ovatis, crenatis, rugosis.

Herba Matricariae. *Mutterkraut.*
Matricaria Parthenium. Planta perennis Germaniae.

Rami florentes amaro-aromatici, floribus compositis radiatis, disco flavo, radio albo brevi, foliis compositis planis, foliolis ovatis incisis.

Herba Melissae ſ. Melissae citratae. *Melisse, Citronenmelisse.*
Melissa officinalis. Planta perennis Germaniae meridionalis, in hortis culta.

Herba aromatica odoris citrei, foliis ovato-cordatis, villosis.

Herba Menthae crispae. *Krausemünze.*
Mentha crispa. Planta perennis originis Sibiricae, in hortis culta.

Herba aromatica, foliis cordatis, dentatis, rugosis, undulatis.

Herba Menthae piperitae. *Pfeffermünze.*
Mentha piperita. Planta perennis Angliae, in hortis medicis culta.

Herba aromatico-camphorata, foliis petiolatis, ovato-acutis, serratis, glabris.

Herba Millefolii. *Schafgarbe.*
Achillea Millefolium.

Herba amaro aromatica, foliis bipinnatis, laciniis linearibus dentatis.

Herba Nicotianae. *Tabak.*

Nicotiana Tabacum. ***Planta annua Americae meridionalis, apud nos culta.***

Folia oblongo lanceolata, magna, odoris subnauseosi et saporis peramari, quae exsiccata fuscum induunt colorem.

Herba Origani vulgaris. *Gemeiner Dost, Wohlgemuth.*

Origanum vulgare. ***Planta perennis Germaniae.***

Herba aromatica, ramis quadrangulis rubentibus, foliis oppositis ovatis, bracteis ovatis calyce longioribus.

Herba Origani cretici. *Spanischer Hopfen.*

Origanum Creticum. ***Planta perennis Europae australis.***

Spicae ex viridi subfuscae, saporis acris, aromatici.

Herba Pulegii. *Poley.*

Mentha Pulegium. ***Planta perennis Germaniae, in locis humidis crescens.***

Herba florens aromatica, floribus verticillatis rubicundis, foliis ovato-lanceolatis, serratis, hirsutis.

Herba Roris marini. *Rosmarin.*

Rosmarinus officinalis. ***Frutex Europae meridionalis.***

Herba florens aromatica, acris, floribus ringentibus, dilute caeruleis, foliis lineari-lanceolatis, pagina superiori intense viridibus.

Herba Rutae. *Raute, Gartenraute.*

Ruta graveolens. Frutex hortensis, Europae meridionalis indigenus.

Herba amaro-acris, graveolens, ex viridi caerulescens, foliis decompositis, foliolis subrotundis.

Herba Sabinae. *Sadebaum.*

Juniperus Sabina. Arbor orientalis sempervirens, nobis hortensis.

Summitates ramorum, foliis oppositis erectis, decurrentibus, saporis amaro-acris, et odoris gravissimi.

Herba Salviae. *Salbey.*

Salvia officinalis. Fruticulus hortensis, in Europa meridionali sponte crescens.

Herba amaro-aromatica et subadstringens, foliis lanceolato-subovatis, integris, rugosis, crenulatis.

Herba Saponariae. *Seifenkraut.*

Saponaria officinalis. Planta perennis Germaniae.

Herba submucilaginea, foliis ovato-lanceolatis, trinerviis.

Herba Scordii. *Lachenknoblauch.*

Teucrium Scordium. Planta perennis Germaniae.

Herba amara, odoris alliacei, foliis oblongis sessilibus, dentato-serratis.

Herba Serpylli. *Quendel.*

Thymus Serpyllum. *Fruticulus Germaniae frequentissimus.*

Herba amaro-aromatica, caule repente, foliis planis, ovatis, obtusis, basi ciliatis, floribus capitatis purpurascentibus.

Herba Solani nigri. *Nachtschatten.*

Solanum nigrum. *Planta annua, ubivis occurrens.*

Herba foliis ovatis, vel integris, vel dentato-angulatis, odoris nauseosi, subnarcotici.

Herba Tanaceti. *Rainfarn.*

Tanacetum vulgare.

Herba amaro-aromatica, foliis bipinnatis, incisis, serratis.

Herba Taraxaci. *Löwenzahn.*

Leontodon Taraxacum. *Planta perennis frequentissima.*

Herba amaricans, floribus compositis lingulatis, flavis, foliis runcinatis, denticulatis, laevibus.

Herba Thymi. *Thymian.*

Thymus vulgaris. *Fruticulus hortensis, in Europa meridionali sponte crescens.*

Herba aromatica, caule erecto ramoso, foliis ovatis, revolutis, floribus verticillato-spicatis, albis.

Herba Trifolii fibrini. *Fieberklee.*

Menyanthes trifoliata. ***Planta perennis palustris Germaniae.***

Herba amara, foliis ovatis, ternis.

Herba Verbasci. *Wollkraut.*

Verbascum Thapsus.

Herba mucilaginea, foliis decurrentibus, utrinque tomento molli albo tectis.

Herba Veronicae. *Ehrenpreis.*

Veronica officinalis. ***Planta perennis Germaniae.***

Herba amaricans, caule procumbente, spicis lateralibus pedunculatis, floribus caerulescentibus, foliis oppositis, ovatis, crenatis.

Herba Violae tricoloris ſ. Jaceae. *Dreifaltigkeitsblume, Fraiſsamkraut.*

Viola tricolor. ***Planta annua frequens.***

Herba subacris, foliis ovatis dentatis, floribus calyce glabro duplo majoribus.

Hirudines vivae. *Blutegel.*

Hirudo medicinalis. ***Vermis ex ordine Intestinorum.***

Hirudo in dorso fusca, lineis flavis sex notata, intermediis maculatis, subtus cinerea, maculis nigris.

Hydrargyrum ſ. Mercurius vivus. *Quecksilber.*

Metallum album, volatile, sub nostro coelo liquidum.

Ichthyocolla s. Collapiscium. *Hausenblase.*

Acipenser Sturio et A. stellatus.

Gluten ex vesica natatoria coctione extractum, refrigerio in pelliculas condensatum et dein convolutum. Sit alba, tenax, et in aqua facile solubilis.

Kali carbonicum crudum s. Cineres clavellati. *Pottasche.*

Massa salina, ex cineribus lignorum per elixivationem et inspissationem parata, et dein leniter usta. Plerumque Kali sulphurico, Kali muriatico et partibus terreis inquinatur.

Kali nitricum s. Nitrum crudum. *Salpeter.*

In Nitrariis nostris quidem gignitur, maxima autem copia ex India orientali affertur. Plerumque Kali muriaticum, Calcaream et Magnesiam muriaticam continet.

Kino s. Gummi Kino s. Gummi Gambiense. *Kinoharz.*

Arbor Africae interioris, nondum satis cognita.

Massa friabilis, opaca, ex rubro nigricans, aqua solubilis, saporis peradstringentis.

Lacca in ramulis. *Stangenlack.*

Coccus Ficus. Insectum hemipterum Indiae orientalis.

Massa resinoso-ceracea, rubra, fragilis, exsudans super larvas Cocci Ficus, ex ramis Fici religiosae et Indicae. Afferri solet una cum ramulis, quibus adhaeret.

Lapides Cancrorum. *Krebssteine.*
Cancer Astacus. Astacus fluviatilis Fabricii.
Insectum apterum.

Concrementa calcarea, texturae lamellosae, superficie, qua ventriculo cancri adhaerent, umbilicata.

Lignum Campechiense. *Campecheholz.*
Haematoxylon Campechianum. Arbor Americae calidioris.

Lignum durum, ponderosum, ex flavo rubrum, saporis adstringentis subdulcis.

Lignum Guajaci s. Lignum sanctum. *Guajakholz.*
Guajacum officinale.

Lignum durissimum, in aqua subsidens, subamarum, odoris grati.

Lignum Juniperi. *Wachholderholz.*
Juniperus communis.

Lignum albidum, resinosum, quod accensum, gratum spirat odorem.

Lignum Quassiae. *Quassienholz, Bitterholz.*
Quassia excelsa.

Lignum albicans, saporis summe amari.

Lignum Sassafras. *Sassafrasholz, Fenchelholz.*
Laurus Sassafras. Arbor Carolinae, Virginiae, aliarumque regionum versus Americam meridionalem.

Radix arboris lignosa, levis, coloris rubicundi, saporis subdulcis, odoris foeniculacei, cortice ferrugineo vestita.

Lithar-

Lithargyrum. *Bleyglätte.*

Plumbum oxydatum semifusum, quod in cupellatione argenti forma squamularum, e rubello flavicantium, obtinetur.

Lycopodium. *Bärlappenpulver, Streupulver.*

Lycopodium clavatum. ***Muscus in silvis Germaniae frequens.***

Pulvis subtilissimus flavescens, aquam respuens, flammae injectus fulgurans.

Macis. *Muskatenblumen.*

Myristica moschata. ***Arbor aromatica insulae Bandae, celebris inter Moluccas.***

Reticulum, Nucem moschatam involvens, pingue, aromaticum, fragrans, coloris e cinnamomeo fusci.

Magnesia sulphurica s. Sal amarum. *Bittersalz.*

Sal amarum, Anglicum sic dictum, quod ex ultimo salis marini lixivio paratur, puritate cedit illi, quod ex aqua medicata Saidschützensi obtinetur.

Malthum hordei. *Malz.*

Hordeum vulgare et Hordeum hexastychon. ***Gramina annua culta.***

Semina hordei, post primam germinationem siccata.

Manganesium oxydatum nativum. *Braunstein.*

Metallum, magna cum Oxygenii quantitate unitum, inquinans, ex cinereo nigrescens, in vase clauso ignitum Gas oxygenium largiens. Rejiciendum illud, quod Ferrum carbonicum, aliaque heterogenea admixta habet.

Manna. *Manna.*

Fraxinus Ornus var. rotundifolia. Arbor in Calabria et Sicilia frequens.

Succus saccharinus viscidus, tam sponte, quam ex arbore vulnerata stillans, solis calore in massam grumosam, levem, ex albo lutescentem, saporis dulcis subacris, odoris melligeni, exsiccatus.

Mastiche. *Mastix.*

Pistacia Lentiscus. Arbor insularum Archipelagi.

Resina granulosa, pellucida, splendens, coloris ex albido citrini, sub masticatione tenax, quae, prunis injecta, gratum spirat odorem.

Mel. *Honig.*

Apis mellifica.

Massa saccharina, spissa, subpellucida, ex nectariis florum ab apibus collecta, et in earum corpore quodammodo alterata.

Mel album *aut* virgineum. *Weiſser Honig, Jungfernhonig.* Mel, sponte ex favis juniorum apium effluens.

Mel commune. *Gemeiner Honig.* Mel calore et pressione ex cellulis ceraceis apium elicitum.

Meloes majales. *Maywürmer.*

Meloe majalis et Meloe Proscarabaeus. Insecta coleoptera. Habitant in pratis apricis et vervactis arenosis, ubi primo vere, plerumque solitarie repentes, inveniuntur.

Meloe majalis, elytris dignoscitur ex nigro virescentibus, et segmentis dorsalibus rubris.

Meloe Proscarabaeus, corpus habet violaceum, interdum nigrum.

Succum spissiusculum, flavescentem, acrem continent, quem, leniter tacti, facile fundunt.

Millepedae. *Kellerwürmer.*

Oniscus Asellus. Insectum apterum, in locis humidis subterraneis frequens.

Insecta oblonga, longitudine dimidii pollicis, cincta annulis cartilagineis, sibi invicem incumbentibus et inter se articulatis; dorso cinerei, abdomine albi coloris; quatuordecim pedibus gaudent, atque humore acri repletae sunt.

Minium. *Mennig.*

Plumbum ustione in oxydum rubrum conversum. Purum est, si carboni inpositum, ope tubi ferruminatorii prorsus in globulum metallicum redigitur.

Moschus. *Bisam.*

Moschus moschiferus. *Animal ex ordine Pecorum, Asiae mediae montes inhabitans.*

Massa unguinosa fragrantissima, secreta in vesicis glandulosis, oblongis, inter anum et genitalia abdomini adjacentibus, quae, una cum vesicis exsiccata, granula refert nigricantia, in textu celluloso deposita.

Mochus Tunquinensis, qui optimus est, ex imperio Chinensi affertur. Vesicis ejus, omni ex parte Moscho turgidis, quae ovum columbinum magnitudine aequant, cutis superinducitur, pilis radiatis, ex albo subfuscis, obsita.

Myrrha. *Myrrhen.*

Arbor Aethiopiae, nondum cognita.

Gummi-resina, extus fulva, intus ex flavo rubens, tactu pinguis, friabilis, subpellucida, levis, saliva maxima ex parte solubilis, saporis amaro-aromatici, et odoris aromatici non ingrati.

Natrum carbonicum f. Soda. *Sode.*

Soda Hispanica concrementum refert cinereum, ex combustis plantis maritimis ortum. Natrum carbonicum elixando inde obtineri solet.

Soda Hungarica autem, quae nativa est, in nonnullis regni Hungariae lacubus sponte exsiccatis, copiose efflorescens, depuratione Natrum carbonicum largitur.

Natrum muriaticum f. Sal culinare. *Küchensalz.*

Paratur in officinis salinariis nostris per evaporationem Muriae.

Nuces Been ſ. Behen. *Beennüsse.*

Guilandina Moringa ſ. *Hyperanthera Moringa* Vahlii. *Arbor in Oriente et India orientali frequens.*

Semina oleosa, triquetra, cinerea, magnitudine seminibus nucis avellanae fere similia.

Nuces Juglandes immaturae. *Unreife Wallnüsse.*

Juglans regia. Arbor apud nos culta.

Nuces moschatae. *Muskatennüsse.*

Myristica moschata.

Nuclei oleosi, subrotundi, ponderosi, extus cinerei, intus vero ex fusco rubentes, odoris fragrantissimi.

† Nuces vomicae. *Krähenaugen.*

Strychnos Nux vomica. Arbor Zeylanica et Malabarica.

Nuclei subrotundi, compressi, tenaces, villis ex cinereo argenteis splendentibus obsiti, saporis summe amari.

Oleum Cajeput. *Cajeputöhl.*

Melaleuca Leucadendron. Arbor Indiae orientalis, in Malabaria et insula Banda frequens.

Oleum aethereum fragrans, flavescens, pellucidum, ex foliis destillatum; plerumque colore viridi conspicuum.

Oleum de Cedro. *Cedroöhl.*

Citri Medicae varietas.

Oleum aethereum fragrans, subflavescens, ex sacculis oleosis corticis fructus maturi, encheirisi pure mechanica, collectum.

Oleum Olivarum. *Olivenöhl, Baumöhl.*

Olea Europaea. Arbor Europae meridionalis.

Oleum unguinosum subviride, ex fructibus fere maturis expressum, odoris, dum recens est, plane expers.

Oleum Ricini. *Ricinusöhl.*

Ricinus communis var. seminibus minoribus. Planta annua Indiae occidentalis.

Oleum unguinosum subflavum, e seminibus expressum.

Olibanum s. Thus. *Weihrauch.*

Juniperus Lycia? et Juniperus thurifera? Arbores orientales.

Resina subdiaphana, ex albido lutescens, quae, leniter tosta, odorem spargit fragrantem.

Opium. *Mohnsaft.*

Papaver somniferum. In Oriente et praesertim in Persia cultum.

Succus lacteus, ex pericarpiis maturis vulneratis effluens, et dein in massam nigricantem gummeo-resinosam, odoris summe narcotici, induratus.

Opopanax. *Panaxgummi.*

Pastinaca Opopanax. Planta biennis Europae meridionalis et Orientis.

Gummi-resina subfusca granulata, tactu subpinguis, fragilis, saporis amari subnauseosi, odore aromatico, ad odorem radicis Levistici accedens.

Ova gallinacea. *Hünereyer.*

Phasianus Gallus domesticus.

Oxalium s. Sal Acetosellae. *Sauerkleesalz.*

Oxalis Acetosella et Rumex Acetosa. Plantae perennes Germaniae.

Sal nativum, ex succo crystallisatum; constans ex Acido proprio vegetabili, ex parte Kali juncto.

Petroleum s. Oleum Petrae. *Steinöhl.*

Bitumen liquidum, oleum aethereum referens, flavum aut rubescens, plerumque e saxorum fissuris stillans; in oleis solubile, nequaquam vero in spiritu vini. Ex Italia et Gallia advehitur.

Piper album. *Weiſser Pfeffer.*

Piper nigrum. Frutex Indiae orientalis.

Nuclei fructus maturi acres, cortice acriore antea detrito.

Plumbum. *Bley.*

Metallum ex albo caerulescens, ductile, molle, via sicca Oxygenium facile attrahens, et, Acido acetico nuptum, sapore subdulci praeditum.

Poma Aurantiorum immatura. *Unreife Pomeranzen.*

Citrus Aurantium.

Fructus immaturi virides.

Poma Citri. *Citronen.*

Citrus Medica.

Poma acidula. *Säuerliche Aepfel.*

Pyrus Malus. *Arbor Europae, in hortis culta.*

Radix Althaeae. *Eibischwurz, Altheewurzel.*

Althae officinalis.

Radix perennis, alba, crassitie calami scriptorii, multa mucilagine repleta.

Radix Angelicae. *Angelikwurzel.*

Angelica Archangelica. *Planta biennis Norwegiae et Lapponiae, in hortis culta.*

Radix fragans, fibrosa, capite oblongo crasso, extus ex flavo rubens, in superficiebus segmentorum transversorum alba, maculis numerosis flavis, oleo aethereo repletis, punctata.

Radix Ari. *Aronswurzel.*

Arum maculatum. *Planta perennis Germaniae.*

Radix tuberosa subrotunda, alba, crassitie partis tertiae pollicis. Recens sapore acerrimo praedita est, siccata autem, acredine fere orbata, farinosa fit.

Radix

Radix Aristolochiae rotundae. *Runde Osterluceywurzel.*

Aristolochia rotunda. ***Planta perennis Europae meridionalis.***

Radix tuberosa, subglobosa, ponderosa, crassitie pollicis, saporis amaro acris.

Radix Armoraciae ſ. Raphani rusticani. *Meerrettig.*

Cochlearia Armoracia. ***Planta perennis palustris Europae australioris, apud nos culta.***

Radix cylindrica, albida, succulenta, principio volatile peracri turgida.

Radix Arnicae. *Wohlverleihwurzel.*

Arnica montana.

Radix subamara, subacris, intense fusca.

Radix Asari. *Haselwurz.*

Asarum Europaeum. ***Planta perennis Germaniae.***

Radix fibrosa, ex cinereo fusca, saporis amaro-acris nauseosi, et odoris subaromatici.

Radix Bardanae. *Klettenwurzel.*

Arctium Lappa. ***Planta biennis, ubique obvia.***

Radix ramosa, levis, spongiosa, extus nigricans, intus alba, saporis ex acri subdulcis.

Radix Belladonnae. *Belladonnawurzel.*

Atropa Belladonna.

Radix sublignosa, ramosa, geniculata, ex cinereo flavescens.

Radix Bryoniae. *Gichtrübenwurzel, Zaunrübenwurzel.*

Bryonia alba ſ. *Bryonia dioica* Jacquini. *Planta perennis Germaniae.*

Radix fusiformis, praegrandis, alba, quae, in taleolas transversas dissecta, annulis sibi invicem incumbentibus, et radiis, conspicua est. Sapore gaudet amaro-acri.

Radix Calami. *Kalmuswurzel.*

Acorus Calamus. Planta perennis palustris Germaniae.

Radix amaro-aromatica, geniculata, spongiosa, crassitie pollicari, extus rubens, intus alba.

Radix Caricis arenariae ſ. Graminis rubri. *Groſse Graswurzel.*

Carex arenaria. Gramen perenne, in arenosis Germaniae frequens.

Radix repens, articulata, extus rubens, intus alba, odoris terebinthinei.

Radix Carlinae ſ. Cardopatiae. *Eberwurz.*

Carlina acaulis. Planta perennis alpestris Germaniae et Helvetiae, in Sudetibus montibus frequens.

Radix ramosa, crassitie pollicis, extus fusca, intus pallida, saporis peramari, acris, et odoris subaromatici, nauseosi.

Radix Caryophyllatae. *Nelkenwurz.*

Geum urbanum. ***Planta perennis frequens.***

Radix fibrosa, fusca, intus rubens, quae recens odorem Caryophyllorum aromaticorum quodammodo spirat.

Radix Chinae ſ. Chinae ponderosae. *Chinawurzel.*

Smilax China. ***Frutex Indiae orientalis, in imperio Chinensi frequens.***

Radix lignosa, subfusca, nodosa, magna, submucilaginea, subdulcis.

Radix Cichorei. *Cichoriemwurzel.*

Cichoreum Intybus. ***Planta biennis Germaniae, frequenter culta.***

Radix ramosa, subflava, crassitie pollicis, lactescens, saporis amaricantis.

Radix Columbo. *Columbowurzel.*

Planta nondum satis cognita, forte Bryoniae; in Africa prope Mozambique crescens.

Radix lignosa, lutea, extus subfusca, intus ex viridi lutea, in taleolas transversim secta, saporis amaro-aromatici. Affertur ex insula Ceilon.

Radix Contrajervae. *Giftwurzel.*

Dorstenia Houstoni. ***Planta perennis Peruviana.***

Radix fibrosa, capitulo oblongo tenui, extus rufa, intus alba, saporis aromatici subadstringentis, et odoris aromatici.

Radix Curcumae. *Gelbwurzel.*

Amonum Curcuma Jacquini. *Planta perennis Indiae orientalis.*

Radix oblonga, rugosa, ponderosa, extus lutea, intus intense flava, saporis amaro-aromatici.

Radix Dauci. *Möhre, Mohrrübe.*

Daucus Carota, var. sativa. Planta biennis Germaniae, in hortis culta.

Radix fusiformis, vel flava, vel ex flavo rubens, succo dulci repleta.

Radix Dictamni albi s. Fraxinellae. *Weiſse Diptamwurzel.*

Dictamnus albus. Planta perennis in montosis Germaniae, praesertim meridionalis.

Cortex radicis albicans, sapore amaricante subacri, et odore, si recens est, gravi praeditus.

Radix Filicis. *Farnkrautwurzel.*

Polypodium Filix mas. In silvis Germaniae frequens.

Radix squamosa, magna, extus subfusca, intus pallida, sapore gaudens ex dulci subadstringente et dein subamaricante, atque odore, si recens est, subnauseoso.

Radix Foeniculi. *Fenchelwurzel.*

Anethum Foeniculum. Planta perennis Galliae meridionalis et Helvetiae, in hortis culta.

Radicis ramosae rami biennes, albi, crassitie digiti, sapore subdulci et odore grato praediti.

Radix Galangae. *Galgantwurzel.*

Maranta Galanga ſ. *Alpinia Galanga* Swartzii.
Planta perennis Indiae orientalis.

Radix nodosa, dura, crassitie digiti, extus ex fusco rubra, intus rubicunda; saporis acris et odoris aromatici.

Radix Gentianae rubrae. *Rother Enzian.*

Gentiana lutea. Planta perennis alpina.

Radix crassitie pollicis et quod excurrit, extus ex rubro fusca, intus aurantiaca, saporis intense amari

Radix Graminis ſ. Graminis albi. *Quecken, Päden.*

Triticum repens. Gramen perenne, agros obsidens.

Radix tenuis, repens, articulata, alba, succo dulci repleta.

Radix Helenii ſ. Enulae. *Alantwurzel.*

Inula Helenium. Planta perennis montana Germaniae et Helvetiae.

Radix carnosa, mucilaginea, crassitie pollicis, extus fusca, intus alba, saporis ex acri amaricantis, subnauseosi, odoris subaromatici.

Radix Hellebori nigri. *Schwarze Niesewurz, Christwurz.*

Helleborus niger. Planta perennis alpina.

Radix fibrosa, capite subrotundo, fibrillis crassioribus extus nigris, intus albis, saporis acris, subamari et nauseosi.

Radix Jalappae. *Jalappenwurzel.*

Convolvulus Jalappa? Planta perennis Americae calidioris.

Radices ponderosae, compactae, rugosae, magnae, plerumque subrotundae, vel integrae, vel in taleolas dissectae, compositae ex lamellis concentricis, resinosis, fuscis, textu celluloso subfusco distinctis. Gaudent sapore et odore acri et nauseoso.

Radix Ipecacuanhae. *Brechwurzel.*

Psychotria emetica. Planta perennis, in regno Mexicano praesertim frequens.

Radix flexuosa, tenuis, annulis eminentibus inaequalibus numerosis conspicua. Constat ex epidermide cinerea, ex cortice albicante, fragili, amaroacri et nauseoso, atque ex parte interiori lignea, subflavescente, insipida.

Radix Iridis Florentinae. *Violenwurzel.*

Iris Florentina. Planta perennis Italiae, in hortis culta.

Radix tuberosa, nodosa, ponderosa, compacta, crassitie pollicis, post resectum corticem alba, punctis subfuscis notata. Odore ad flores Violae odoratae accedente, et sapore amaricante subacri, praedita est.

Radix Lapathi acuti. *Grindwurzel.*

Rumex acutus. Planta perennis Germaniae, ad fossas frequens.

Radix ramosa, superne crassitie pollicari, extus fusca, intus flavescens, saporis amaro-acris et subadstringentis.

Radix Levistici. *Liebstökelwurzel.*

Ligusticum Levisticum. ***Planta perennis alpina, in hortis medicis culta.***

Radix praelonga, carnosa, extus lutescens, intus alba, saporis atque odoris acris aromatici.

Radix Liquiritiae. *Süfsholz.*

Glycyrrhiza glabra. ***Planta perennis Europae meridionalis.***

Glycyrrhiza echinata. ***Planta perennis Russiae meridionalis.***

Radix praelonga, cylindrica, lignea, crassitie pollicis, extus ex cinereo fusca, intus lutescens, saporis dulcis, dein amaricantis.

Radix Paeoniae. *Päoniemwurzel.*

Paeonia officinalis. ***Planta perennis alpina.***

Radix tuberosa, tuberibus subrotundis, crassitie pollicis, extus ex rubro fuscis, intus albidis, sapore ex subamaro et subdulci mixto.

Radix Pimpinellae albae. *Weifse Pimpinellwurz.*

Pimpinella Saxifraga. ***Planta perennis Germaniae.***

Radix fibrosa, capite oblongo, crassitie digiti, extus subfusca, intus albida, saporis acris, pungentis.

Radix Polygalae amarae. *Bittere Kreuzblumenwurzel.*

Polygala amara. Planta perennis montana Germaniae et Galliae meridionalis.

Radix fibrosa, fibrillis tenuibus subluteis, intus albidis, saporis subamaro-subdulcis.

Radix Polypodii. *Engelsüſs.*

Polypodium vulgare. Filix in silvis Germaniae frequens.

Radix dentato-articulata, tenax, extus fusca, intus lutescens, saporis dulcis, subadstringentis.

Radix Pyrethri. *Bertramwurzel.*

Anthemis Pyrethrum. Planta perennis Asiae et Africae, ad oras Maris mediterranei sponte crescens; nunc in Germania culta.

Radix cylindrica, rugosa, gracilis, extus subfusca, intus albida, fibrillis rarioribus obsita, saporis peracris urentis, odoris plane expers.

Radix Rhei. *Rhabarber.*

Species Rhei, nondum certo cognita. *Planta perennis Chinensis.*

Segmenta magna radicis, ex occidentalibus imperii Chinensis regionibus allata. Extus, resecto cortice, ex luteo aut croceo rubent, intus autem iisdem coloribus, et interdum etiam colore albido variegata, inveniuntur. Salivam flavedine tingunt; sapore et odore specifico, plerisque nauseam movente, gaudent.

Radix

Radix Rubiae. *Färberröthe.*

Rubia tinctorum. Planta perennis Europae mediae, frequenter culta.

Radix repens, geniculata, ex fusco rubra, saporis adstringentis, subamari.

Radix Salep. *Salepwurzel.*

Orchides variae, imprimis *Orchis Morio et Orchis mascula. Planta perennis pratenses.*

Radices oblongae, tuberosae, subdiaphanae, ponderosae, ex subfusco cinereae, e toto mucilagineae. Praestant ex China, Syria et Persia allatae.

Radix Saponariae. *Seifenkrautwurzel.*

Saponaria officinalis.

Radix fibrosa, extus rubens, intus flavescens, saporis subdulcis, dein amaricantis, subacris.

Radix Sarsaparillae. *Sarsaparilwurzel.*

Smilax Sarsaparilla. Planta perennis Americana, in Mexicana et Brasiliensi regionibus frequens.

Radix repens, flexuosa, fragilis, farinacea, crassitie calami scriptorii, subrugosa, extus fusca, intus alba, saporis submucilaginei.

Radix Scillae. *Meerzwiebelwurzel.*

Scilla maritima. Planta perennis, in oris Maris mediterranei frequens.

Bulbus praegrandis, ponderosus, epidermide ex fusco rubente tunicatus. Squamae albidae recentes succo mucilagineo peracri turgent; leni calore exsiccatae sapore peramaro praeditae sunt.

Radix Scorzonerae. *Scorzonerwurzel.*
Scorzonera Hispanica et Scorzonera humilis.
Plantae perennes Europae meridionalis.

Radix fusiformis, subdulcis, intus alba, epidermide fusca.

Radix Senegae. *Senegawurzel.*
Polygala Senega. Planta perennis Virginae et Pensilvaniae.

Radix superne nodosa, inferne in ramos incurvatos desinens, extus ex cinereo lutescens, intus alba, sapore acri pungente praedita.

Radix Serpentariae Virginianae. *Virginische Schlangenwurzel.*
Aristolochia Serpentaria. Planta perennis Virginiae.

Radix fibrosa, ex viridi lutescens, fibris tenuissimis, inter se tricatis, odoris fragrantis camphorati.

Radix Taraxaci. *Löwenzahnwurzel.*
Leontodon Taraxacum.

Radix fibrosa, extus fusca, intus alba, saporis ex dulci amaricantis.

Radix Tormentillae. *Tormentillwurzel.*
Tormentilla erecta. Planta perennis Germaniae.

Radix nodosa, fibrillis numerosis obsessa, extus ex rubro fusca, intus dilute rosea, saporis peradstringentis.

Radix Valerianae minoris. *Baldrianwurzel.*
Valeriana officinalis. Planta perennis Germaniae, in montosis colligenda.

Radix fibrosa, capitulo oblongo, quodammodo truncato, fibris subfuscis, tenuibus, hirtis, tenacibus, saporis amaro-acris et odoris gravis, subnauseosi.

Radix Zedoariae. *Zedoarwurzel.*

Kaempferia rotunda ſ. *Amomum Zedoaria* Bergii.
Planta perennis Indiae orientalis.

Radix aromatica, tuberosa, ponderosa, extus cinerea, intus subfusca, in segmenta vel rotunda vel longa dissecta; saporis acris amaricantis, odoris fragrantis subcamphorati.

Radix Zingiberis albi. *Weiſser Ingber.*

Amomum Zingiber. Planta perennis Indiae orientalis.

Radix tuberosa, articulata, compressa, rugosa, ponderosa, extus ex albo cinerea, intus alba, saporis peracris, odoris aromatici.

Resina Guajaci nativa. *Guajakharz.*

Guajacum officinale.

Resina ex fusco virescens, subdiaphana, friabilis, saporis acris, quae prunis injecta odorem spargit haud ingratum.

Resina Pini ſ. communis. *Gemeines Harz.*

Pinus silvestris et Pinus Abies.

Resina aurantiaca, ex arbore exsudans et dein indurata.

Saccharum album. *Weiſser Zucker.*

Saccharum officinarum. Gramen perenne palustre utriusque Indiae.

Principium proprium dulce, a mucilagine aliisque heterogeneis depuratione separatum et in formam Salis concreti redactum.

Saccharum Lactis. *Milchzucker.*
Bos Taurus.

Sal essentiale Seri Lactis, aegre solubile, praesertim in Helvetia paratum.

Saccharum Saturni. *Bleyzucker.*

Plumbum aceticum impurum, maxima ex parte in officinis Batavicis paratum.

Sagapenum. *Sagapengummi.*
Planta umbellata orientalis, nondum cognita; forsan Ferulae species.

Gummi-resina tenax, fusca, granulis albis nitentibus subpellucidis mixta, saporis amaro-acris, quodammodo alliacei.

Sandaraca. *Wachholderharz.*
Juniperus communis et Juniperus Oxycedrus. Arbor in oris Africae mediterraneis frequens.

Granula resinosa, subrotunda, elongata, vel citrina vel albida, splendentia, pellucida, prunis injecta odorem suavem spirantes.

Sanguis Draconis. *Drachenblut.*
Calamus Rotang. Frutex Indiae orientalis; et Pterocarpus Draco? Arbor Indiae orientalis.

Massa resinosa, rubra, ex fructibus exsudans, iisque superinducta indurescens, quae dein calore emollita in globulos formatur.

Sapo Hispanicus albus. *Spanische Seife.*

Fit, coquendo Oleum Olivarum cum Lixivio Natri caustici. Usui externo solummodo inservit; cum ab opificibus non satis purus parari soleat.

Scammonium Halepense. *Scammonium von Aleppo.*

Convolvulus Scammonia. Planta perennis orientalis, praesertim in Syria frequens.

Succus resinosus, concretus, cinereus, levis, sub spongiosus, friabilis, acris, in fractura nitens, et aquam colore subviridi tingens.

Fertur, Scammonium ex superficie sectionis obliquae radicis liquidum effluere, dein vero radiis solis expositum sensim indurare.

Semen Amomi. *Englisch Gewürz.*

Myrtus Pimenta. Arbor Americana, in Mexico et Jamaica frequens.

Baccae immaturae globosae, post exsiccationem fuscae, pericarpiis rugosis cinctae.

Semen Anisi stellati. *Sternanieſs.*

Illicium anisatum. Frutex Japonicus.

Pericarpia stellata, coriacea, fusca, seminibus ovatis nitidis repleta, odoris aromatici.

Semen Anisi vulgaris. *Anieſs.*

Pimpinella Anisum. Planta annua orientalis, in Europa culta.

Semina oblonga, striata, subviridula, ex subdulci aromatica.

Semen Cannabis. *Hanfsamen.*

Cannabis sativa. Planta annua Europae borealis.

Semina rotunda, glabra, oleoso-mucilaginea.

Semen Carvi. *Kümmelsamen.*
Carum Carvi. *Planta perennis pratensis Germaniae.*

Semina aromatica, parva, oblonga, striata, ex fusco subincana, odoris fragrantis.

Semen Cinae ſ. Santonici. *Zitwersamen, Wurmsamen.*
Artemisia Santonica et Artemisia Judaica. *Fruticuli orientales, in Persia, Syria et Palaestina frequentes.*

Semina exigua, oblonga, ex flavo viridula, saporis amaro-acris et odoris nauseosi.

Semen Coriandri. *Koriandersamen.*
Coriandrum sativum. *Planta annua Europae meridionalis, in hortis frequenter culta.*

Semina globosa, sublutea, odoris subaromatici non ingrati.

Semen Cumini. *Römischer Kümmel.*
Cuminum Cyminum. *Planta annua orientalis, in Europa culta.*

Semina aromatica, oblonga, striata, seminibus Carvi quidem similia, sed duplo longiora.

Semen Cydoniorum. *Quittenkörner.*
Pyrus Cydonia. *Arbor Cretensis, in hortis culta.*

Semina oblongo-acuta, nitida, fusca, multa mucilagine cincta.

Semen Erucae. *Weiſser Senf.*
Sinapis alba et Brassica Eruca. *Plantae annuae agrestes Germaniae.*

Semina parva, globosa, lutescentia, acria.

Semen Foeniculi. *Fenchelsamen.*
Anethum Foeniculum.

Semina subaromatica, oblonga, striata, pallida, odoris grati et saporis subdulcis.

Semen Foeni Graeci. *Bockshornsamen.*
Trigonella Foenum Graecum. Planta annua Europae meridionalis, in hortis medicis culta.

Semina subquadrangularia, lutea, mucilaginea, subaromatica, odoris nauseosi.

Semen Hordei excorticatum. *Gerstengraupe.*
Hordeum vulgare et Hordeum hexastychon.

Semen Lini. *Leinsamen.*
Linum usitatissimum. Planta annua sativa Europae borealis.

Semina ovata, compressa, glaberrima, nitentia, fusca, oleoso-mucilaginea.

Semen Melonum. *Melonenkörner.*
Cucumis Melo. Planta annua Tartarica, in hortis culta.

Semina oblongo-elliptica, compressa, glabra, vel lutescentia vel albida, oleo dulci repleta.

Semen Papaveris albi. *Weiſser Mohnsamen.*
Papaver somniferum, var. seminibus albis.

Semina globosa, minima, alba, saporis oleosi-dulcis.

Semen Petroselini. *Petersiliensamen.*
Apium Petroselinum. Planta biennis Sardiniae nobis hortensis.

Semina viridia, oblonga, striata, parva, odoris et saporis ex acri aromatici.

Semen Phellandrii s. Foeniculi aquatici. *Wasserfenchelsamen.*
Phellandrium aquaticum. *Planta perennis palustris Germaniae.*

Semina oblonga, striata, subfusca, graveolentia, seminibus Foeniculi forma similia.

Semen Psyllii. *Flöhsamen.*
Plantago Psyllium. *Planta annua agrestis, et*
Plantago Cynops. *Fruticulus Europae meridionalis.*

Semina exigua, oblonga, ex nigro-fusca, nitentia, multa mucilagine repleta.

Semen Sabaldilli. *Sabadilsamen.*
Veratrum Sabadilla Retzii? *Planta perennis Mexicana.*

Semina oblongo acuta, nigra, urentia, pericarpio membranaceo fusco tecta.

Semen Sinapeos. *Schwarzer Senfsamen.*
Sinapis nigra. *Planta annua sativa Germaniae.*

Semina exigua, globosa, nigricantia, peracria.

Sevum ovillum s. vervecinum. *Hammeltalg.*
Ovis Aries.

Pinguedo ex capsulis adipalibus renum et omentis eliquata.

Siliqua dulcis. *Johannisbrod.*
Ceratonia Siliqua. *Arbor in Oriente et Europa meridionali frequens.*

Siliqua coriacea, compressa, spadicea, longitudine quatuor vel quinque pollicum, pulpa dulci, seminibus interjacente, repleta.

Sili-

Siliqua hirsuta. *Juckende Fasel, Kuhkrätze.*
Dolichos pruriens. *Planta scandens utriusque Indiae.*

Siliqua longitudine duorum vel trium pollicum, crassitie digiti, extus setis rigidis, ex rubro fuscis, undique obsita.

Spongia marina. *Badeschwamm.*
Spongia officinalis. *Zoophyton Maris mediterranei et Maris rubri.*

Spongia sublutescens, foraminibus exiguis pervia.

Stannum. *Zinn.*

Metallum album, molle, ductile, cum Acido nitrico Oxydum album valde refractarium constituens.

Stibium sulphuratum nigrum s. Antimonium crudum. *Rober Spiefsglanz.*

Minera Stibii sulphurati, per eliquationem in vasis clausis a matrice purgata, et cristallis acicularibus, nitentibus, conspicua.

Stipites Dulcamarae. *Bittersüfsstengel, Alpranken.*
Solanum Dulcamara. *Frutex scandens, in silvaticis paludosis Germaniae frequens.*

Rami biennes vel triennes, cortice tecti ex cinereo subfusco, et sapore ex dulci amaro praediti.

Strobuli Lupuli. *Hopfen.*
Humulus Lupulus. *Plantae dioicae perennis Germaniae foemina.*

Amenta foeminea matura, saporis amari non ingrati.

Styrax in granis. *Storax in Körnern.*
Styrax officinalis. Arbor in Archipelagi insulis et in Oriente frequens.

Resina ex cortice arboris vulneratae effluens, indurata in granula vel lutea vel fusca, quae prunis injecta balsamicum spargunt odorem.

Styrax liquidus *Flüſsiger Storax.*
Liquidambar Styraciflua. Arbor regionum calidarum Americae septentrionalis.

Balsamum nativum spissum, ex rubro nigrescens.

Succinum. *Bernstein.*

Bitumen solidum, pellucidum, fragile, citrinum aut flavum, Acidum concretum via sicca largiens. Colligitur in oris Maris Baltici, praesertim ubi Curlandiam, Borussiam et vicina Pomeraniae littora alluit.

Succus Citri. *Citronensaft.*
Citrus Medica.

Succus acidus, ex parte carnea fructus penitus maturi expressus.

Succus Liquiritiae. *Lakrizensaft.*
Glycyrrhiza glabra et G. echinata.

Extractum, e radicibus recentibus coctione in aqua paratum et ad siccum fere condensatum. Ex Hispania et Sicilia, in massis foliis Lauri obvolutis, ad nos venit. Rejiciatur cupro inquinatum.

Sulphur. *Schwefel.*

Corpus solidum, friabile, colore citrino, quod, comburendo Oxygenio nuptum, Acidum sistit sulphuricum. Occurrit vel nativum, vel ex mineris Ferri sulphurati via sicca separatur.

Tacamahaca vera. *Wahrer Takamahak.*
Fagara octandra. *Arbor Americae calidioris, praesertim in Curacao frequens. Crescit etiam in insula Madagascar.*

Resina aromatica, vel lutescens, vel ex luteo viridescens, ex cortice arboris vulneratae exsudans, et in pericarpiis cucurbitinis collecta.

Tamarindi s. Fructus Tamarindorum. *Tamarinden.*
Tamarindus Indica. *Arbor Arabiae et Indiae orientalis.*

Pulpa nigra, seminibus siliquarum interiacens, saporis acidi grati.

Tartarus. *Weinstein.*

Sal nativum, in succo baccarum Vitis viniferae, aliarumque plantarum, obvium; constans Acido proprio, ex parte Kali nupto.

Tartarus crudus instar crustae crystallinae parietibus doliorum, in quibus vinum asservatur, adhaeret. In officinis Galliae depuratus sub nomine *Crystallorum Tartari* in usum venit.

Terebinthina communis. *Gemeiner Terpenthin.*
Pinus silvestris.

Balsamum nativum, ex cinereo lutescens, subpellucidum, ex trunco arboris terebrato effluens.

Terebinthina laricina s. Veneta. *Venedischer Terpenthin.*
Pinus Larix. *Arbor Europae meridionalis.*

Balsamum nativum, lutescens, pellucidum, vel sponte ex trunco exsudans, vel ex foraminibus ope terebrae factis effluens.

Turiones Pini. *Fichtenknospen.*

Pinus silvestris.

Gemmae foliaceae, vix exclusae.

Vinum. *Wein.*

Vitis vinifera. *Frutex in vineis cultus.*

Succus baccarum Vitis viniferae, post fermentationem vinosam rite peractam, satis diu in doliis asservatus.

In usum pharmaceuticum praecipue veniunt. *Vinum Gallicum album, Vinum Rhenanum, et Vinum Mosellense.*

Viscum album. *Weiſse Mistel.*

Viscum album. *Fruticulus parasiticus Quercus, Fagi, Pini, aliarumque arborum.*

Ramuli juniores, una cum foliis ovatis coriaceis, magna glutinis quantitate repleti.

Zincum. *Zink.*

Metallum ex albido caerulescens, tenax, malleo parum obediens. Ignitum, sub aëris accessu flammam concipiens, abit in Oxydum album, partim sub flocculorum levissimorum forma avolans.

Zincum Chinense plerumque puritate antecellit illi, quod in officinis metallurgicis Goslariensibus producitur.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

Acetum aromaticum.

(*Loco Aceti bezoardini et prophylactici*)

℞. Herbae Absinthii,
Roris marini,
Salviae,
Menthae piperitae,
singularum Uncias duas,
Cassiae cinnamomeae Unciam dimidiam,
Caryophyllorum,
Nucum moschatarum,
singulorum Drachmas duas,
Aceti crudi Libras octo.

Post sufficientem macerationem in vase vitreo supra arenam tepidam, exprime et cola.

Acetum concentratum.

(*Loco Aceti per frigus concentrati.*)

℞. Kali carbonici Uncias sedecim,
Aceti destillati, quantum sufficit ad perfectam saturationem.

Evaporent ad Uncias quadraginta, quibus in retortam vitream immissis, adde
Acidi sulphurici concentrati Uncias duodecim,
Aquae fontanae Unciis octo
dilutas. Retortae collum ablue cum
Aquae destillatae Unciis quatuor.

Tum adaptato recipiente et juncturis munitis, fiat destillatio ad siccum.

Acetum destillatum.

Acetum crudum destillet e retorta vitrea, aut e cucurbita cuprea, stanno obducta, munitaque capitello, una cum canali refrigeratorio e stanno puro parato, quam diu prodit limpidum et ab empyreumate liberum.

Acetum Rosarum.

℞. Florum Rosarum rubrarum Uncias tres,
Aceti crudi Libras duas.

Post macerationem tepidam in lagena vitrea, cola.

Acetum Rubi Idaei.

℞. Fructuum recentium Rubi Idaei Libram unam,
Aceti crudi Libras duas.

Seponantur in lagena vitrea per mensem, deinde cola et serva.

Acetum Rutae.

℞. Herbae Rutae Uncias tres,
Aceti crudi Libras duas.

Macera loco tepido et cola.

Acetum saturninum.

(*Extractum Saturni*)

℞. Minii Uncias quatuor,
Aceti destillati Libras tres.

Coque in vase fictili vitreato, continue agitando, donec Libra supersit una. Filtra.

Ace-

Acetum scilliticum.

℞. Radicum Scillae siccatarum Uncias duas.
Minutim scissis affundantur.
Aceti crudi Librae duae.
Macerentur leni calore. Liquor leviter expressus servetur.

Acidum aceticum.

(*Alcohol Aceti.*)

℞. Kali sulphurici pulverati Uncias duodecim,
Acidi sulphurici concentrati Uncias sex,
Aquae communis Unciis octodecim
dilutas. Mixta evaporent ad siccum. Admisce
Natri acetici, leni calore siccati, Uncias novem.
Immitte in retortam vitream, et applicato vase recipiente atque juncturis optime clausis, ex arena calore moderato fiat destillatio. Liquorem obtentum in vase vitreo clauso serva.

Acidum benzoicum.

(*Flores Benzoës.*)

℞. Benzoës pulveratae Uncias viginti quatuor,
Natri carbonici crystallisati Uncias octo.
Misce et decoque ex
Aquae communis Libris sedecim,
perpetue agitando, per horam dimidiam. Cola. Benzoën residuam denuo ex
Aquae communis Libris sex
decoque et cola. Colaturam cum priori misce et evapora, donec supersint Librae duae. Filtra; et
Acido sulphurico diluto

satura. Acidum benzoicum, sub forma pulveris levioris ex cinereo albidi, praecipitatum, in aqua bulliente solve. Liquorem adhuc ferventem cola per linteum, et ad crystallisandum sepone. Crystallos collectas, aqua frigida ablutas, sicca et serva.

Acidum muriaticum.

(*Spiritus Salis acidus.*)

℞. Natri muriatici Libras sex.
In retortam vitream capacem immissis affunde
Acidi sulphurici concentrati Libras quatuor,
caute antea dilutas
Aquae communis Libris totidem.
Adaptato vase recipiente amplo, cui insint
Aquae destillatae Librae duae,
et juncturis clausis, fiat destillatio, igne primum remissiori, sub finem aucto, ad siccum. Liquidum elicitum supra.
Natri muriatici Libram dimidiam
rectifica.

Acidum nitricum.

(*Spiritus Nitri acidus.*)

℞. Kali nitrici pulverati Libras octo.
In retortam vitream satis capacem immissis affunde
Acidi sulphurici concentrati, Libras quatuor,
dilutas antea caute
Aquae communis Libris totidem.
Applicetur excipulum amplum, cui
Aquae destillatae Librae quatuor
antea sunt immissae. Fiat destillatio ex arena, igne primum remissiori, sub finem pedententim aucto, ad siccum. Acido elicito instilla

Argentum nitricum solutum,

quam diu inde fit turbidum. Seponatur per aliquot dies. Tum liquorem limpidum decantha, et ex retorta, fere ad siccum destillando, rectifica.

Acidum phosphoricum.

℞. Cornu Cervi, aut aliorum Ossium, ad albedinem ustorum, Libras tres.

Subtilissime pulverisatis adde

Acidi sulphurici concentrati Libras duas,

Aquae communis Libris quindecim

dilutas. Ebulliant leniter per horam in lebete stanneo, sub continua agitatione. Cola cum expressione, et liquorem ad mellis spissitudinem evapora. Residuum, in aqua iterum solutum et colatum, cum

Ammonio carbonico

perfecte satura. Liquidum filtratum, et ad siccum evaporatum, praebet Ammonium phosphoricum; e quo, retortae vitreae satis amplae, aut vasi porcellaneo profundo commisso, Ammonium leni calore expellatur. Postquam spumescere cessavit, Acidum phosphoricum restans, igne modice aucto, adhuc per aliquot temporis momenta lente fluens detineatur; refrigeratum in triplo Aquae destillatae solvatur, et liquor filtratus limpidus servetur.

Acidum succinicum.

(Sal Succini.)

℞. Succini, grossiuscule contusi, quantum vis.

Fiat destillatio ex retorta vitrea satis ampla, igne primum lento et successive aucto. Prodibunt una cum Oleo, primum flavo, dein rubro, Liquor acidulus et Sal concretum; quibus addatur Aquae calidae sufficiens quantitas, ad Sal solvendum. Liquor acidus, ab oleo separatus,

leniter evaporet, filtretur et ad crystallisandum seponatur. Crystalli collectae depurentur solutione in aqua calida et crystallisatione repetita.

Acidum sulphuricum concentratum.

(*Oleum Vitrioli.*)

Acidum sulphuricum concentratum venale, combustione Sulphuris obtentum, aut e Ferro sulphurico destillatione elicitum, ad praeparanda medicamenta plerumque quidem satis aptum est. Illud vero, quod usui interno dicatum est, per rectificationem, e retorta vitrea, arenae balneo immersa, prudenter ac artis lege institutam, depurandum est.

Acidum sulphuricum dilutum.

(*Spiritus Vitrioli.*)

℞. Acidi sulphurici concentrati rectificati Partem unam.
Instillando misce cum
Aquae destillatae Partibus quinque.

Acidum tartaricum.

(*Acidum Tartari essentiale.*)

℞. Tartari depurati pulverati Libras septem,
Aquae communis ferventis Libras viginti quatuor.
In lebetem stanneum immissis sensim adjiciantur
Cretae purae pulveratae Librae duae,
vel quantum sufficit ad perfectam saturationem. Vas ab igne remotum, seponatur per horam, et liquor supernatans, Kali tartaricum continens, caute decanthetur. Calcariae tartaricae residuae, aqua frigida ablutae, addantur

Acidi sulphurici concentrati Librae duae,
Aquae communis Libris viginti

dilutae. Spathula lignea saepius agitando, digerantur per horas viginti quatuor. Decanthato liquore acido, Calcariam sulphuricam residuam aqua ablue, donec plane insipida fiat. Liquores acidi commisti et filtrati evaporent in vase vitreo aut porcellaneo, ut maneant librae circiter octo; refrigerati filtrentur, et tandem in aquae balneo in crystallos redigantur, quae siccatae serventur.

Aether aceticus.

(*Naphtha Aceti.*)

℞. Natri acetici, blando calore exsiccati, Uncias duodecim.

In retortam vitream immissis affunde
Acidi sulphurici concentrati Uncias sex,

antea cum
Spiritus Vini rectificatissimi Unciis decem

mixtas. Vasorum juncturis probe clausis, fiat destillatio leni igne. Liquori elicito adde
Aquae communis Partem quartam,
Liquoris Kali caustici, quantum requiritur ad promovendam separationem Aetheris; quem blando calore rectifica et serva.

Aether sulphuricus.

(*Naphtha Vitrioli.*)

℞. Acidi sulphurici concentrati Libras duas cum dimidia,
Spiritus Vini rectificatissimi Libras duas.

Spiritui Vini in cucurbita successive et caute instilletur Acidum sulphuricum. Adaptetur alembicus cum excipulo satis capaci, et, juncturis bene clausis, instituatur destillatio ex arenae, aut tutius ex cinereum, balneo, calore remissiori. Ab ulteriori destillatione desistendum est, quam primum Liquor stillans Acidum sulphurosum redolet. Residuo tunc affundatur

Spiritus Vini rectificatissimi, Libra una.

Fiat destillatio uti antea; quae operatio, cum simili Spiritus Vini quantitate, bis adhuc potest repeti.

Liquoris aetherei, destillationibus his repetitis obtenti, Partibus duodecim addantur

Aquae communis Partes tres,
Liquoris Kali caustici Pars una.

Aether supernatans a reliquo fluido separetur, et rectificetur calore blandissimo, quamdiu purissimus et fragrantissimus transit.

Alumen ustum.

Alumen crudum uratur in crucibulo amplo, aut in olla fictili non vitreata satis capaci, donec penitus in massam spongiosam levem abeat.

Ammoniacum depuratum.

Ammoniacum electum per tempestatem gelidam terendo redigatur in pulverem, ab adhaerentibus quisquiliis ope cribri setacei secernendum.

Eadem encheiresi depurentur

Asa foetida,
Galbanum,
Sagapenum.

Ammonium carbonicum.

(*Alcali volatile siccum.*)

℞. Ammonii muriatici pulverati et siccati Libram unam,
Cretae pulveratae et siccatae Libras duas.

Mixta in retortam collo amplo immitte. Adaptato recipiente, et juncturis optime clausis, sublimationem institue, igne ac initio leni, sub finem aucto. Sublimatum in vase bene obturato serva.

Ammonium carbonicum pyro-oleosum.

(*Sal volatile Cornu Cervi.*)

℞. Cornuum Cervi, vel aliorum Ossium purgatorum, quantum vis.

Dissecta, et in retortam tubulatam ferream aut figulinam immissa, adaptato excipulo amplo cum tubo intermedio, igne aperto gradatim aucto ure. Ammonium concretum, una cum Liquore ammoniali et Oleo foetido inde productum, collige, cum duplo Cretae siccae pulveratae misce, e retorta vitrea, balnei arenae calore, sublima, et in vase obturato serva.

Ammonium muriaticum depuratum.

(*Sal ammoniacum depuratum.*)

Ammonium muriaticum, quale prostat, solvatur in aquae calidae quantitate sufficiente, filtretur et in vase vitreo, aut porcellaneo, supra modicum ignem evaporet, donec exsiccetur.

Ammonium muriaticum martiatum.

(*Flores Salis ammoniaci martiales.*)

℞. Ferri puri Unciam unam.

Solve in quantitate sufficiente liquoris, ex
Acidi muriatici Partibus duabus,
nitrici Parte una
commixti. Solutum admisce
Ammonii muriatici Unciis duodecim.

Massam, leni calore exsiccatam et contritam, e retorta vitrea, collo amplo instructa, igne gradatim aucto sublima. Sublimatum, colore aurantiaco imbutum, vase clauso serva.

Aqua aromatica.

(Loco *Aquae cephalicae* et *Aquae Embryonum.*)

℞. Herbae Salviae Uncias octo,
Roris marini,
Menthae piperitae,
Florum Lavendulae, singulorum Uncias quatuor,
Seminis Foeniculi,
Cassiae cinnamomeae, singulorum Uncias duas.

Scissis et contusis affundantur
Spiritus Vini rectificati Librae quatuor,
Aquae communis, quantum satis.

Macerentur per horas viginti quatuor, et destillando eliciantur Librae duodecim.

Aqua Calcariae ustae.

(Aqua Calcis.)

℞. Calcariae purae, nuper ustae, Libram unam.
Sensim affunde
Aquae communis Libras triginta.
Ebullitione peracta aqua supernatans decanthetur, et in lagenis rite obturatis servetur.

Aqua Cerasorum.

℞. Cerasorum nigrorum silvestrium, aut, his deficientibus, hortensium, una cum nucleis contusorum, Libras decem,
Aquae communis quantum satis.
Destillando elice Libras viginti.

Aqua Chamomillae.

℞. Florum Chamomillae vulgaris siccatorum Libras duas,
Aquae communis quantum satis.
Destillent Librae viginti.
Eodem modo paratur:

Aqua Florum Sambuci; Florum Tiliae.

Aqua Cinnamomi simplex.

℞. Cassiae cinnamomeae contusae Libram unam,
Aquae communis quantum sufficit.
Destillando eliciantur Librae novem.

Aqua Cinnamomi vinosa.

℞. Cassiae cinnamomeae contusae Libram unam.
Spiritus Vini rectificati Libras duas,
Aquae communis quantum satis.
Destillent inde Librae novem.

Aqua Cochleariae.

℞. Cochleariae florescentis Libras quindecim,
Aquae communis quantum satis.
Abstrahantur Librae decem.

Aqua destillata simplex.

Destillent Aquae communis duae tertiae partes, rejecta prima stillantis aquae portiuncula.

Aqua Florum Aurantii.

(*Aqua Napbae.*)

℞. Florum Aurantii recentium Libras duas,
Aquae communis quantum satis.
Abstrahantur inde Librae duodecim.

Aqua Foeniculi.

℞. Seminis Foeniculi contusi Libram unam.
Aquae communis quantum satis.
Destillando eliciantur Librae viginti. Oleum aethereum innatans auferatur.

Aqua Hyssopi.

℞. Herbae Hyssopi siccatae Libras duas,
Aquae communis quantum sufficit.
Destillando elice Libras viginti.
Eodem modo parantur:

Aqua Melissae;
Menthae crispae;
Rutae;
Salviae.

Aqua Lauro-Cerasi.

℞. Foliorum recentium Lauro-Cerasi Libras duas,
Aquae communis quantum satis.
E retorta vitrea destillando elice Libras tres. Serva sollicite.

Aqua Menthae piperitae.

℞. Herbae Menthae piperitae siccatae Libras duas,
Aquae communis quantum sufficit.
Destillent Librae quatuordecim.

Aqua Menthae piperitae vinosa.

℞. Herbae Menthae piperitae siccatae Libram unam,
Spiritus Vini rectificati Libram unam cum dimidia,
Aquae communis quantum satis.
Destillando eliciantur Librae sex.

Aqua Petroselini.

℞. Seminis Petroselini Libram unam,
Aquae communis quantum satis.
Destillent Librae duodecim.

Aqua Rosarum.

℞. Florum Rosarum recentium Libras quatuor,
Aquae communis quantum satis.
Destillando elice Libras viginti.

Aqua Rubi Idaei.

℞. Fructuum Rubi Idaei maturorum Libras decem,
Aquae communis quantum satis.
Abstrahantur Librae viginti.

Aqua saturnina.

(Loco *Aquae vegeto mineralis Goulardi.*)

℞. Aquae communis destillatae Libras duas,
Aceti saturnini Unciam dimidiam.
Misce.

Aqua sulphurato-acidula.

(*Liquor probatorius Hahnemanni.*)

℞. Calcariae sulphuratae,
Acidi tartarici, singulorum Drachmas duas,
Aquae destillatae Uncias sedecim.
In vitro clauso mixta agitentur quassando. Postquam subsederint, Liquor limpidus decanthetur in vas vitreum, cui
Acidi tartarici Uncia dimidia
inest. Obturetur statim.

Aqua vulneraria vinosa.

℞. Herbae recentis Salviae,
Absinthii,
Menthae piperitae,
Rutae,
Roris marini,
Florum recentium Lavendulae, singulorum Uncias quatuor,
Spiritus Vini rectificati Libras sex,
Aquae communis quantum satis.

Macerentur per viginti quatuor horas, et destillent Librae octodecim.

Argentum nitricum fusum.

(*Lapis infernalis.*)

℞. Argenti puri, quantum placet.
Solve in
Acidi nitrici quantitate sufficiente.

Deinde leni calore in vase vitreo evapora ad siccum. Massam in vase argenteo, aut porcellaneo idoneo, calore leni liqua, et simulac olei instar fluit, effunde in modulum ferreum calefactum, sevo illitum. Refrigeratam massam vitro clauso serva.

Baryta muriatica.

(*Terra ponderosa salita.*)

℞. Barytae sulphuricae nativae electae et laevigatae
Libram unam,
Kali carbonici Libras duas,
Aquae communis Libras quatuor.

Coque per horam in lebete stanneo, sub perpetua agitatione spathula lignea, aquam evaporatione consumtam

subinde restituendo; tum dilue Aqua fervente et cola. Terrae probe ablutae, et aquae sextuplo dilutae, affunde

Acidum muriaticum,

donec nihil amplius solvatur. Solutione facta filtra et evapora, donec exsiccetur. Massa residua in crucibulo excandescat. Refrigeratam et pulveratam in aqua fervida solve, solutam et limpidissime filtratam ad crystallisationis momentum evapora. Crystallos collectas serva.

Bismuthum oxydatum album.

(*Magisterium Bismuthi*)

℞. Bismuthi puri Uncias duas,

Acidi nitrici Uncias sex, vel quantum satis ad solvendum.

Bismuthum grossiuscule contusum Acido nitrico successive ingere, solutum Aquae dimidio dilue, filtra, et in vas vitreum, Aquae limpidae circiter Libras viginti jam continens, effunde. Bismuthum oxydatum per aquam praecipitatum, quam optime edulcora, et loco calido, radiis solaribus non exposito, exsicca atque serva.

Calcaria muriatica.

(*Sal ammoniacum fixum.*)

℞. Calcariae carbonicae purae, aut Testarum Ostrearum purificatarum, quantum vis.

Solve in

Acido muriatico,

filtra, et in vase vitreo aut porcellaneo evapora. Sal siccum adhuc calens statim in vitro clauso serva.

Obtineri etiam potest e residuo ex sublimatione Ammonii carbonici, ope Cretae peracta; residuum in aqua solvendo et liquorem filtratum limpidum evaporando, donec exsiccetur.

Calcaria sulphurata.

(*Hepar Sulphuris calcareum.*)

℞. Calcariae ustae pulveratae Uncias duas,
Sulphuris puri Unciam unam.
Mixtis sensim affunde
Aquae fervidae Uncias sedecim.
Supra modicum ignem, continue agitando, evaporent ad siccum. In vase vitreo clauso serva.

Calcaria sulphurato-stibiata.

(*Calx Antimonii cum Sulphure.*)

℞. Calcariae, recenter ustae, pulveratae Unciam unam cum dimidia,
Sulphuris stibiati aurantiaci Unciam dimidiam.
Invicem tritis sensim adde
Aquae fervidae Uncias duodecim.
In vase porcellaneo, sub agitatione continuata, leni calore exsicca, et pulverem ex albido flavescentem in vitro obturato serva.

Carbo purus

Ligni Tiliae, vel alius arboris, frustula urantur in retorta terrea, aut in crucibulo clauso, cujus operculum foramine parvo instructum est, usque donec fumus penitus desinit. Carbo remanens in pulverem tritus servetur in vase clauso.

Carbo Spongiae.

(*Spongiae ustae.*)

E Spongia marina mundata eodem modo Carbo est parandus.

Ceratum Aeruginis.

(Cera viridis.)

℞. Cerae flavae Libram unam,
Resinae Pini Uncias sex,
Terebinthinae Uncias quatuor,
Aeruginis tritae Unciam unam.
Misce fiat Ceratum.

Ceratum Resinae Pini.

(Ceratum citrinum.)

℞. Cerae flavae Libras duas,
Resinae Pini Libram unam,
Sevi ovilli,
Terebinthinae, singulorum Libram dimidiam.
Fiat lege artis Ceratum.

Cereoli saturnini.

(Cereoli mitigantes.)

℞. Cerae flavae Uncias sex,
Liquatis admisce assidue agitando
Aceti saturnini Drachmas duas.
Leni calore liquefactis et ab igne remotis immerge telas linteas tenues, ex quibus lege artis fiant Cereoli, superficie laevi, et forma exacta.

Cereoli simplices.

(Cereoli exploratorii.)

℞. Cerae flavae Uncias sex,
Olei Olivarum Unciam unam.
Post lenem humidi evaporationem, ex massa, ab igne remota, fiant Cereoli, uti supra.

Cinna-

Cinnabaris.

℞. Hydrargyri puri Uncias viginti quatuor,
Sulphuris puri Uncias quatuor.

Sulphuri, in vase ferreo leni igne liquato, paullatim adjice Hydrargyrum antea calefactum, assidue spathula ferrea agitando, ut bene misceantur. Flammam, simulac mixtura conceperit, extingue operculo vasi adaptato; deinde massam in pulverem redactam immitte in phialam, et ex arena, igne sensim aucto, sublima. Massam sublimatam crystallinam, laevigando cum aqua, in pollen subtilissimum redige.

Colocynthis praeparata.

(*Trochisci Albandal.*)

℞. Pulpae Colocynthidum, a seminibus liberatae et minutim concisae, Uncias quinque,
Gummi Mimosae pulverati Unciam unam.

Cum Aquae quantitate sufficiente fiat pasta, quae exsiccata in pulverem redigatur subtilem.

Conserva Cochleariae.

℞. Foliorum recentium Cochleariae Libram unam.

Contundantur in mortario lapideo, ope pistilli lignei, in pultem, admiscendo successive
Sacchari albi pulverati Libras tres.

Conserva Rosarum.

℞. Petalorum Rosarum rubrarum recentium Libram unam,
Sacchari albi pulverati Libras duas.

Fiat Conserva uti supra.

Cuprum ammoniatum.

℞. Crystallorum Cupri sulphurici quantum placet.
Solve in
Aquae destillatae fervidae triplo;
adde
Liquoris Ammonii caustici
quantum requiritur, ut praecipitatum, ab initio natum, denuo perfecte solvatur. Liquorem cynaneum in vase vitreo ad tertiam partem evapora, et cum totidem partibus Spiritus vini rectificatissimi misce. Crystallos inde ortas, coloris caerulei saturati, collige et in vitro clauso serva.

Cuprum sulphuricum.

(*Vitriolum de Cypro.*)

℞. Ramentorum Cupri, quantum vis,
Acidi sulphurici concentrati triplum.
Misce, et ex retorta vitrea Acidum sulphurosum destillando elice. Massam remanentem contritam dissolve in Aqua fervida, solutam filtra, et ad crystallisandum sepone.

Elaeosaccharum Anisi.

℞. Sacchari albissimi pulverati Unciam unam,
Olei Anisi aetherei Guttas viginti quatuor.
Misce.
Eodem modo parantur:

Elaeosaccharum Cinnamomi;
Foeniculi;
Menthae piperitae;

et reliqua.

Elaeosaccharum Flavedinis Citri.

Paratur quoque, atterendo fructibus Citri recentibus Sacchari frustula, donec oleosa Flavedinis substantia satis impraegnata sint.

Electuarium aromaticum.

(Loco *Electuarii stomachici.*)

℞. Pulveris Herbae Menthae piperitae Uncias duas,
Radicis Calami,
Cassiae cinnamomeae, singulorum Unciam unam,
Zedoariae;
Caryophyllorum, singulorum Unciam dimidiam,
Mellis despumati Uncias quindecim, vel quantum satis,
ut fiat Electuarium. Misceantur.

Electuarium e Senna.

(*Electuarium lenitivum.*)

℞. Caricarum Uncias sex,
Radicis Liquiritiae Uncias duas.
Coque ex
Aquae Libris quatuor
ad dimidium, exprime, cola, et decoctum evapora ad Uncias duodecim. In quibus dissolve
Sacchari albi Uncias sedecim.
Huic Syrupo immisce
Pulpae Tamarindorum,
Prunorum, singularum Uncias quinque
et postremo

Pulveris Foliorum Sennae Uncias quatuor cum dimidia,
Seminis Anisi Unciam dimidiam.

Serva.

Electuarium Theriaca.

℞. Radicum Angelicae Uncias sex,
Serpentariae Virginianae Uncias quatuor,
Valerianae minoris,
Scillae,
Zedoariae,
Cassiae cinnamomeae, singularum Uncias duas,
Cardomomi minoris,
Myrrhae,
Croci,
Caryophyllorum,
Ferri sulphurici,
Opii, singulorum Unciam unam;
Mellis despumati Libras sex.

Melli paululum calefacto addatur Opium, in Vini Malacensis quantitate sufficiente dilutum; deinde admisceantur caetera, in pulverem trita. Serva.

Nota. *Theriacae hujus Unciae singulae continent Opii Grana circiter quinque.*

Elixir Aurantiorum compositum.

(*Elixir viscerale.*)

℞. Corticum Aurantiorum, a parenchymate interno mundatorum, Uncias quatuor,
Fructuum Aurantiorum immaturorum,

Cassiae cinnamomeae, singulorum Uncias duas,
Kali carbonici sicci Unciam unam,
Vini Malacensis Libras quatuor.

Post digestionem sufficientem exprime. In colatura solve

Extracti Absynthii,
Cascarillae,
Gentianae,
Trifolii, singulorum Unciam unam,
Olei de Cedro Drachmas duas, in
Spiritus sulphurico-aetherei Unciis duabus solutas. Serva.

Elixir ex Succo Liquiritiae.

(*Elixir pectorale.*)

℞. Succi Liquiritiae depurati Uncias duas,
Aquae Foeniculi Uncias sex,
Solutis et colatis adde
Liquoris Ammonii anisati Uncias sex,
Tincturae Opii crocatae Unciam unam.

Emplastrum Ammoniaci.

℞. Ammoniaci Uncias sex,
Galbani Uncias duas,
Cerae flavae,
Resinae Pini,
Terebinthinae, singulorum Uncias quatuor.

Cerae et Resinae liquatis et refrigeratis admisce Ammoniacum et Galbanum, in Terebinthina blando calore soluta, ut fiat lege artis Emplastrum.

Emplastrum aromaticum.

(Loco *Emplastri stomachici.*)

℞. Cerae flavae Uncias octo,
Sevi ovilli Uncias sex.
Liquatis et semirefrigeratis immisce
Pulveris Olibani Uncias quatuor,
Caryophyllorum Uncias duas,
Olei Nucis Moschatae expressi Unciam unam cum dimidia,
Menthae piperitae Drachmas duas.
Serva.

Emplastrum Cantharidum ordinarium.

(*Emplastrum vesicatorium ordinarium.*)

℞. Cerae flavae Uncias duodecim,
Terebinthinae,
Olei Olivarum, singulorum Uncias tres.
Liquatis et semirefrigeratis immisce
Cantharidum grossiuscule tritarum Uncias sex,
ut fiat Emplastrum.

Emplastrum Cantharidum perpetuum.

(*Emplastrum vesicatorium perpetuum.*)

℞. Terebinthinae,
Pulveris Mastiches, singulorum Uncias sex,
Leni calore liquatis immisce
Pulveris Cantharidum Uncias duas,
Euphorbii Unciam unam.
Fiat Emplastrum.

Emplastrum Cerussae.

(Emplastrum album coctum.)

℞. Cerussae tritae Libras octo,
Olei Olivarum Libras quatuor cum dimidia.

Oleo calefacto injiciatur Cerussa. Coquantur sub agitatione continuata, instillando sensim modicum Aquae calidae, ne humidum deficiat, ad justam Emplastri spissitudinem; tunc adde

Cerae albae Libram unam.

Emplastrum Cetacei.

(Emplastrum Spermatis Ceti.)

℞. Cerae albae,
Sevi ovilli singulorum Libram unam,
Cetaci Libram dimidiam.

Massam leni igne liquatam effunde in cistulas papyraceas.

Emplastrum Conii.

℞. Cerae flavae Libram unam,
Colophonii,
Olei Olivarum, singulorum Libram dimidiam.

Liquatis et semirefrigeratis paullatim admisce
Pulveris Herbae Conii maculati Libram unam,
ut fiat Emplastrum.

Eodem modo parantur:

Emplastrum Hyoscyami;
Meliloti.

Emplastrum foetidum.

(Emplastrum resolvens.)

℞. Ammoniaci Uncias viginti quatuor,
Asae foetidae Uncias octo,
Saponis Hispanici rasi Uncias quatuor,
Olei Olivarum Uncias duas.

Coquantur ex Aquae quantitate sufficiente, leni igne, ad Emplastri spissitudinem.

Emplastrum Hydrargyri.

(Emplastrum mercuriale.)

℞. Emplastri Lithargyri simplicis Uncias viginti quatuor,
Cerae flavae Uncias sex.

Liquentur leni calore; dein ab igne remotis adde
Hydrargyri puri Uncias octo,
Terebinthinae Unciis quatuor
antea diligenti agitatione extinctas. Misce exacte.

Emplastrum Lithargyri compositum.

(Emplastrum Diachylon compositum.)

℞. Emplastri Lithargyri simplicis Libras quatuor,
Cerae flavae Libram dimidiam,
Ammoniaci,
Galbani,
Terebinthinae, singulorum Uncias quatuor.

Emplastro et Cera liquatis et aliquantulum refrigeratis, admisceantur Ammoniacum et Galbanum, cum Terebinthina liquata.

Empla-

Emplastrum Lithargyri cum Resina Pini.

(*Emplastrum adhaesivum.*)

℞. Emplastri de Lithargyro Libras duas,
Resinae Pini Libram unam.

Misce.

Emplastrum Lithargyri simplex.

(*Emplastrum Diachylon simplex.*)

℞. Lithargyri, in subtilissimum pulverem triti, Libras quinque,
Olei Olivarum Libras novem.

Coque moderato igne, spathula semper agitando, et pauxillum Aquae calidae subinde instillando, ad justam Emplastri spissitudinem.

Emplastrum opiatum.

(*Emplastrum cephalicum.*)

℞. Elemi,
Mastiches,
Olibani, singulorum Uncias quatuor,
Benzoes Uncias duas,
Terebinthinae Uncias sex.

In balneo aquae ad massam homogeneam redactis immisce

Opii pulverati Unciam unam,
Balsami indici nigri Unciam dimidiam.

Serva.

Emplastrum saponatum.

℞. Emplastri Lithargyri simplicis Libras tres,
Cerae flavae Libram dimidiam,
Saponis Hispanici Uncias tres.
Leni igne mixtis et aliquantulum refrigeratis, adde Camphorae Unciam dimidiam, in Olei Olivarum pauxillo solutam.

Emplastrum sulphuratum.

(*Emplastrum nigrum sulphuratum.*)

℞. Colophonii Uncias octodecim,
Terebinthinae Uncias sex,
Ammoniaci,
Galbani,
Sagapeni,
Myrrhae,
Asphalti, singulorum Uncias quatuor.
Olei Lini sulphurati,
Terebinthinae, singulorum Uncias octo,
Camphorae Unciam unam cum dimidia.
Colophonio liquato et aliquantulum refrigerato insperge Myrrhae et Asphalti pulveres; misce cum Ammoniaco, Galbano et Sagapeno, in Terebinthina liquatis; tunc adde Oleum Lini sulphuratum, antea Oleo Terebinthinae dilutum; sub finem immisce Camphoram in pauxillo Olei Olivarum solutam.

Extractum Absinthii.

Absinthii vulgaris Summitatibus minutim concisis, in vas stanneum immissis, affunde Aquae fervidae

Octuplum. Ebulliant leniter per horae quadrantem et liquorem exprime. Residuum ex Aquae Quadruplo iterum per quadrantem horae leniter coque. Decocta expressa et subsidendo depurata evaporent leni calore ad Extracti crassitudinem.

Eodem modo parantur:

Extractum Cardui benedicti;
Cascarillae;
Centaurii minoris;
Chamomillae vulgaris;
Chinae aquosum;
Dulcamarae; e Stipitibus;
Fumariae;
Gentianae;
Ligni Campechiensis;
Marrubii;
Millefolii, exHerba cumFloribus;
Rhei;
Salicis laureae, e Corticibus;
Trifolii aquatici.

Extractum Aconiti.

Herba Aconiti Napelli recens, antequam efflo-ruerit collecta, contundatur in mortario lapideo, adspergendo pauxillum Aquae, et exprimatur succus, qui statim absque defaecatione in balneo aquae, continue sub finem spatula lignea agitando, evaporet ad mellis spissitudinem.

Pari modo paranda sunt:

Extractum Herbae Belladonnae;
Conii maculati;
Hyoscyami.

Extractum Aloes.

℞. Aloes lucidae Libram dimidiam.
In pulverem redactae affunde
Aquae communis Libras duas.

Solve digerendo, et liquorem colatum in balneo aquae evapora ad justam crassitudinem.

Eadem methodo parentur:

Extractum Myrrhae;
Opii.

Extractum Angelicae.

℞. Radicum Angelicae Libras duas.
Crassiuscule contusis affunde
Spiritus Vini rectificati Libras tres,
Aquae communis Libras novem.

Digere in balneo aquae, exprime, et ex liquore colato Spiritum Vini e balneo aquae destillando elice. Residuum ad Extracti spissitudinem evaporet.

Eodem modo para:

Extractum Arnicae; e toto;
Calami;

Extractum Colocynthidis, e pulpa a seminibus purgata;
Columbo;
Corticum Aurantiorum;
Helenii;
Hellebori nigri;
Levistici;
Pimpinellae;
Valerianae minoris.

Extractum Chinae frigide paratum.

℞. Corticis Chinae pulverati Libras tres,
Aquae communis frigidae Libras triginta sex.

Stent subinde agitatae per horas quadraginta octo. Liquor colatus leniter evaporet, donec supersint Librae circiter duae; frigefactus filtretur per chartam et denique balnei aquae calore ad Extracti crassitudinem inspissetur.

Extractum Ferri pomatum.

℞. Ferri puri limati Libram unam,
Succi Pomorum acidulorum Libras quatuor.

Digerantur saepius agitando per aliquot dies. Postea coquantur leni igne ad dimidiae partis consumtionem. Liquor per linteum colatus evaporet ad justam spissitudinem.

Extractum Graminis liquidum.

(*Mellago Graminis.*)

℞. Radicum recentium Graminis albi Libras duodecim.

Concisas contunde in mortario ferreo, addendo
Aquae communis Libras sex.

Exprime succum, quem post unicam ebullitionem in vase stanneo cola, et leni calore ad Syrupi spissioris crassitudinem redige.

Eodem modo paratur;

Extractum Taraxaci liquidum,

(*Mellago Taraxaci*) e Radicibus recentibus, cum Herba juniori, vere primo collectis.

Extractum Ligni Guajaci.

℞. Rasurae Ligni Guajaci grossiuscule contusae Libras sex,
Aquae communis Libras sexaginta.

Decoquantur per horam, et liquor coletur. Repetatur coctio ex Aqua recenti eodem modo bis terve. Decocta prout subsederint colata, evaporent ad Extracti crassitudinem, sub finem addendo pauxillum
Spiritus Vini rectificati,
ut fiat massa uniformis

Similiter paratur:

Extractum Quassiae,

ex Ligno cum Cortice.

Extractum Nucum Juglandis.

E Nucibus Juglandis nondum maturis in mortario lapideo cum pauxillo Aquae contusis, exprime succum, quem in balneo aquae ad Extracti crassitudinem redige.

Extractum Rhei compositum.

(Loco *Extracti catholici* et *panchymagogi.*)

℞. Extracti Rhei Uncias tres,
Aloes Unciam unam.

Mixtis adde
Saponis jalappini Unciam unam,
in Spiritu vini rectificato solutam. In balneo aquae evaporet, agitando, ad massae pilularis spissitudinem.

Fel Tauri inspissatum.

Fel Tauri recens in balneo aquae ad Extracti spissitudinem evaporet.

Ferrum oxydatum fuscum.

(*Crocus Martis aperitivus.*)

℞. Crystallorum Ferri sulphurici quantum vis.
Solve in Aqua calida, filtra, et instillando
Liquorem Kali carbonici
praecipita; praecipitatum Aqua calida sedulo edulcora, sicca et serva.

Ferrum oxydulatum nigrum.

(*Aethiops martialis.*)

℞. Ferri oxydati fusci, quantum placet.
Irrora
Olei Olivarum quantitate sufficiente,
ut fiat pulvis humidiusculus, qui in retortam vitream immissus, ad siccum destillet, igne ad pulveris fere excandescentiam aucto. Residuum nigerrimi coloris tere, et in vitro obturato serva.

Ferrum pulveratum.

(*Limatura Martis praeparata.*)

Ferrum purum, lima in scobem reductum, in mortario ferreo assidue teratur, et pollen subtilissimum, per linteum separandum, in vitro obturato servetur.

Ferrum sulphuricum crystallisatum.

(*Vitriolum Martis.*)

℞. Acidi sulphurici concentrati Uncias duodecim.
Misce in cucurbita vitrea cum
Aquae communis quadruplo,
successive immitte
Ferri puri limati Uncias octo.

Effervescentia cessante repone per horam supra arenam calidam; tum filtra et lege artis in crystallos redige.

Glo-

Globuli Tartari martiati,

℞. Ferri limati et in pulverem redacti Partem unam,
Tartari crudi pulverati Partes duas.

Mixta in vase ferreo humectentur Aqua, ut fiat massa pultiformis, quam sub diu, aut arenae balneo, exsicca, iterum humecta et sicca, idque toties repete, donec massa quasi resinosa appareat. Formetur in globulos.

Hydrargyrum aceticum

(Mercurius acetatus).

℞. Hydrargyri oxydati rubri Uncias duas,
Aceti concentrati Uncias septem, vel quantum ad solvendum requiritur.

Solve leniter digerendo; liquor limpidus blando calore evaporet ad siccum. Serva.

Hydrargyrum muriaticum corrosivum.

(Mercurius sublimatus.)

℞. Hydrargyri puri Uncias duodecim,
Acidi sulphurici concentrati Uncias viginti.

Fiat destillatio ex retorta vitrea in balneo arenae ad siccum. Massam remanentem tritam caute misce cum
Natri muriatici siccati Pari Pondere.

Tum e cucurbita vitrea, ad tertiam tantum partem repleta, igne initio moderato, sub finem aucto, sublima. Massam sublimatam crystallinam circumspecte serva.

Hydrargyrum muriaticum mite.

(Mercurius dulcis. Calomelas.)

℞. Hydrargyri muriatici corrosivi Uncias quindecim.

In mortario vitreo aut lapideo caute, ac Spiritus Vini aliquot Guttas subinde inspergendo, pulveratis adde

Hydrargyri puri Uncias duodecim.

Misce terendo, donec globuli Hydrargyri penitus disparuerint. Immitte in cucurbitam vitream oblongam, et lege artis sublima. Massam sublimatam puriorem contere, et denuo sublima. Tunc in pulverem subtilissimum tere, affusa Aqua destillata fervente lava, sicca et solliciter serva.

Hydrargyrum muriaticum praecipitatum.

(Mercurius praecipitatus albus.)

℞. Hydrargyri muriatici corrosivi,
Ammonii muriatici, singulorum Uncias octo.
Solve in
Aquae destillatae calidae Libris octo,
filtra et instilla
Natrum carbonicum, in Aqua solutum.
Pulverem albi coloris dejectum lava et sicca.

Hydrargyrum oxydatum rubrum.

(Mercurius praecipitatus ruber.)

℞. Hydrargyri puri Uncias octo.
Solve in
Acidi nitrici Unciis duodecim, vel quantum sufficit.

Solutionem in vase vitreo ad siccitatem coque. Massam pulveratam, sub continua agitatione cum spathula vitrea, igne prudenter aucto, nec justos excidente limites, ure in vase vitreo, aut fictili non vitreato, latioris fundi, usque dum rubicundum referat colorem.

Hydrargyrum oxydulatum nigrum.

(*Mercurius solubilis.*)

℞. Acidi nitrici Uncias sex,
Aquae destillatae simplicis Uncias duas,
Hydrargyri puri Uncias quatuor.

Mixta remaneant per aliquot dies in phiala leviter clausa, subinde agitando, donec Acidum nitricum, ignis calore haud adhibito, Hydrargyro saturatum sit. Liquori limpido, ab Hydrargyro restante decanthato, et Aqua destillata diluto, sensim instilla

Liquorem Ammonii caustici,

tam diu, nec ultra, quam praecipitatum inde enatum colore nigro apparet. Pulverem subsidentem Aqua destillata perfecte ablue, sicca, et in vitro obturato serva.

Hydrargyrum phosphoricum.

(*Mercurius phosphoratus.*)

℞. Hydrargyri puri quantum vis.
Coquendo solve in
Accidi nitrici quantitate sufficiente.
Instilla
Natrum phosphoricum,

in Aqua destillata simplici solutum, et paucis Acidi nitrici Guttis acidulatum. Pulverem albi coloris inde praecipitatum ablue, sicca et serva.

Hydrargyrum stibiato-sulphuratum.

(*Aethiops antimonialis.*)

℞. Stibii sulphurati nigri laevigati Uncias duas,
Hydrargyri puri Unciam unam.
Misceantur et terantur donec Hydrargyrum penitus disparcat.

Hydrargyrum sulphuratum nigrum.

(*Aethiops mineralis.*)

℞. Hydrargyri puri,
Sulphuris depurati, Partes aequales.
Misceantur sedulo in mortario vitreo, donec Hydrargyrum Sulphure mixtum plane dispareat.

Infusum Sennae compositum.

(Loco *Aquae laxativae.*)

℞. Foliorum Sennae Unciam dimidiam.
Affunde
Aquae fervidae Uncias quatuor.
Macera per semihoram. In Colatura expressa solve
Tartari natronati Drachmas duas,
Mannae Drachmas sex.
Cola.

Kali aceticum.

(*Terra foliata Tartari.*)

℞. Kali carbonici quantum placet,
Aceti destillati quantum ad saturationem requitur.
Liquor in lebete stanneo ad Libras circiter tres evaporatione redactus et filtratus, in vase vitreo aut procellaneo,

in balneum aquae, aus supra arenam calidam posito, ad siccum evaporet. Sal concretum statim ne humidum quid attrahat, in vitro obturato servà.

Kali carbonicum.

(Alkali vegetabile aëratum. Sal Tartari)

Tartarus crudus vasi idoneo inclusus, uratur, donec sine flamma et fumo candeat. Residuum Aqua calida elixetur, Liquor coloris expers filtretur, et ad siccum evaporet.

Eodem modo Kali carbonicum extrahitur e massa carbonacea, ex de stillatione Tartari reſidua.

Kali carbonicum, plurimis aptum usibus, at non omnibus, quibus Kali e Tartaro paratum convenit, sequenti modo obtinetur.

Cineres clavellati, ut prostant, at terra silicea soluta omnino non inquinati, in pari Aquae ferventis pondere solvantur, Liquor per chartam colatus evaporet, donec cuticula appareat, et per aliquot dies seponatur, ut Salia neutra in cryſtallos concrescant. Liquor kalinus residuus effundatur, et evaporatione in sal siccum redigatur.

Kali, modis dictis paratum, majore quidem ex parte, sed non perfecte, Acido carbonico est saturatum. Perfecte saturatum obtinetur, solvendo illud in Aqua, Acido carbonico impraegnata, et solutum evaporando, usque dum cuticula appareat. Tunc Kali post aliquot dies transit in crystallos, Acido carbonico in totum saturatas.

Kali causticum siccum.

(Alkali causticum.)

Liquor Kali caustici evaporet in vase ferreo, donec gutta, in metallum frigidum demissa, perfecte concrescat; tum effunde, et frustula diffracta statim in vase rite obturato serva.

Kali citratum.

(Sal Absinthii citratum.)

℞. Kali carbonici quantum vis.
Succi Citri recentis quantum ad saturationem requiritur.

Liquor seponatur per aliquot dies; tunc a faecibus decanthatus, in lebete stanneo ad quartam circiter partem evaporet, per chartam coletur, et in vase porcellaneo, balnei aquae calore, exsiccetur.

Kali nitricum.

(Nitrum depuratum)

Kali nitricum crudum in Aquae fervidae dupło liquetur. Instilletur Liquor Kali carbonici, quam diu solutum inde turbetur, per cartam colatum seponatur deinde, ut crystalli concrescant. Liquor residuus, ad dimidium evaporatus, denuo crystallos demittit. Haec operatio repetenda est, dum crystalli Kali nitrici purae inveniuntur.

Kali sulphuratum.

(Hepar Sulphuris salinum.)

℞. Sulphuris depurati Partem unam,
Kali carbonici siccati Partes duas.

Mixta in crucibulo tecto et satis amplo leni igne coëant in massam homogeneam; quam in tabulam lapideam, aut in laminam aeneam, Oleo Amigdalarum illitam, effunde, et frigefactam statim in vase rite clauso serva.

Kali sulphuricum.

(*Arcanum duplicatum. Tartarus vitriolatus.*)

Massam salinam post destillationem Acidi nitrici remanentem in Aquae quantitate sufficiente coquendo solve, et simul Acidum, si abundat, cum Kali carbonico satura; Liquorem evapora donec cuticula appareat, filtra, et in crystallos redige.

Kali tartaricum.

(*Tartarus tartarisatus.*)

℞. Kali carbonici quantum vis.
Solve in
Aquae fervidae Octuplo;
adde successive
Tartarum depuratum in pulverem tritum, donec effervescentia cesset. Liquorem rite saturatum filtra, et leni calore ad siccum evapora.

Obtinetur quoque Kali tartaricum, quum paratur Acidum tartaricum, suo loco expositum.

Lapides Cancrorum citrati.

℞. Lapidum Cancrorum pulveratorum quantum placet.
Affunde
Succi Citri recentis quantum sufficit
ad saturationem; postea exhalet humidum leni calore in vase porcellaneo vel vitreo, agitando spathula lignea. Massa exsiccata teratur et cribretur per linteum.

Linimentum ammoniatum.

(*Linimentum volatile.*)

℞. Olei Olivarum Uncias tres,
Liquoris Ammonii caustici Unciam unam.

Agitentur in vese vitreo, donec perfecte in unum coëant.

Linimentum saponato-camphoratum.

(*Balsamum Opodeldoc.*)

℞. Saponis medicati rasi Uncias duas,
Camphorae tritae Drachmam unam,
Liquoris Ammonii vinosi Unciam unam cum dimidia,
Olei Roris marini Guttas sexaginta.

In vase vitreo, vesica tecto, supra arenam tepidam liquescant, ut refrigerata massam, gelatinae similem, referent.

Liquor Ammonii acetici.

(*Spiritus Mindereri.*)

℞. Ammonii carbonici sicci Uncias tres,
Aceti concentrati Uncias undecim, vel quantum requiritur ad saturandum,
Diluatur postea Aqua destillata simplici, ut totius Pondus sit Unciarum viginti quatuor.

Liquor

Liquor Ammonii anisatus.

(*Spiritus Salis ammoniaci anisatus*)

℞. Spiritus Vini rectificatissimi Uncias duodecim,
Olei Anisi aetherei Unciam dimidiam.

Solutis adde

Liquoris Ammonii caustici Uncias tres.

Misce.

Liquor Ammonii carbonici aquosus.

(*Spiritus Salis ammoniaci aquosus.*)

℞. Ammonii muriatici Libram unam,
Kali carbonici Libram unam cum dimidia.

In retorta vitrea mixtis adde

Aquae communis Libras quatuor.

Fiat destillatio leni calore, donec Aqua prodiens crustam salinam, in excipulo antea obtentam, solverit.

Liquor Ammonii caustici.

(*Spiritus Salis ammoniaci cum Calce.*)

℞. Calcariae ustae Libram unam cum dimidia.

Conspergantur Unciis circiter novem Aquae calidae, ut per extinctionem perfectam fatiscant in pulverem. Huic in retortam vitream immisso adde

Ammonii muriatici contriti Libram unam,
Aquae communis Libras tres.

Applicetur statim excipulum amplum,

Aquae destillatae Libram dimidiam

continens. Destillent leniter Librae duae cum dimidia, ut sint Liquoris Librae tres, in lagenis vitreis, epistomio vitreo obturatis, servandae.

Liquor Ammonii pyro-oleosi.

(Spiritus Cornu Cervi rectificatus.)

Liquor ammonialis, ex destillatione Cornu Cervi, aut Ossium purgatorum, una cum Ammonio sicco ac Oleo foetido obtentus et separatus, rectificetur ex cucurbita vitrea, alembico munita, Partem dimidiam destillatione eliciendo.

Liquor Ammonii succinici.

(Liquor Cornu Cervi succinatus.)

℞. Acidi succinici quantum placet.
Saturetur exacte
Liquore Ammonii pyro-oleosi.
Filtra et serva.

Liquor Ammonii vinosus.

(Spiritus Salis ammoniaci vinosus.)

℞. Spiritus Vini rectificatissimi Partes duas,
Liquoris Ammonii caustici Partem unam.
Misce et in vitro probe clauso serva.

Liquor Hydrargyri muriatici corrosivi.

(Loco *Aquae phagedaenicae.*)

℞. Hydrargyri muriatici corrosivi,
Ammonii muriatici, singulorum Grana viginti quatuor.
Solve in
Aquae destillatae simplicis Libris duabus.
Adde
Mellis rosati Unciam unam.

Liquor Hydrargyri nitrici.

(*Mercurius nitrosus.*)

℞. Hydrargyri puri Unciam unam.
Digerendo leni calore solve in
Acidi nitrici puri quantitate sufficiente.
Soluto adde
Aquae destillatae simplicis
quatum requiritur, ut Liquoris sint Unciae quatuor.

Liquor Kali acetici.

(*Liquor terrae foliatae Tartari.*)

℞. Kali acetici sicci Libram unam,
Aquae destillatae simplicis libras duas.
Solve et filtra.

Liquor Kali carbonici.

(*Oleum Tartari per deliquium.*)

℞. Kali carbonici sicci Libram unam.
Solve in
Aquae destillatae simplicis Libris duabus.
Filtra et serva.

Liquor Kali caustici.

(*Lixivium causticum.*)

℞. Kali carbonici Libras duas.
In vas ferreum immissis affunde
Aquae communis fervidae Decuplum;
tunc successive ingere
Calcariae ustae pulveratae Libras tres.

Coque per horae quadrantem, agitando spathula. Si Liquor, cum Acido quocunque mistus, ullam producit effervescentiam, Calcaria usta est addenda. Cola per linteum. Liquor, in lagenas vitreas obturatas immissus, postquam subsederit, decanthetur et evaporet, donec ejus Unciae quatuor compleant vas, quod capax foret Unciarum trium Aquae simplicis. In lagenis vitreis obturatis serva.

Liquor Myrrhae.

℞. Myrrhae contusae Uncias duas.
Aquae destillatae simplicis Uncias octo.

Digere in vase vitreo aut porcellaneo obturato, balneo aquae commisso, ad sufficientem Myrrhae dissolutionem. Liquorem per linteum colatum loco frigido serva.

Liquor pyro-tartaricus.

(Spiritus Tartari.)

℞. Tartari crudi quantum vis.

Fiat destillatio ex retorta, ad dimidiam partem repleta, aperto et sensim aucto igne, in excipulum satis capax, et tubulo, per quem transeat Gas, impetuose prorumpens, instructum. Destillatione finita, Liquorem elicitum ab Oleo foetido filtratione repetita libera et serva.

Liquor Saponis stibiati.

(Sulphur auratum liquidum. Tinctura Antimonii Jacobi.)

℞. Saponis stibiati Uncias octo,
Tincturae kalinae,
Aquae destillatae simplicis, singularum Uncias duodecim.

Digerantur leni calore, subinde agitando Liquorem; quem filtratum serva.

Liquor Stibii muriatici.

(*Butyrum Antimonii.*)

℞. Stibii oxydulati fusci Uncias duas,
Natri muriatici siccati Uncias sex.
Mixtis in retorta vitrea affunde
Acidi sulphurici concentrati Uncias quatuor,
Aquae communis Unciis duabus
antea dilutas. Fiat destillatio ex arenae balneo, igne sub finem aucto. Liquorem obtentum serva.

Magnesia carbonica.

(*Magnesia Salis amari.*)

℞. Magnesiae sulphuricae crystallisatae Libras decem,
Natri carbonici crystallisati Libras duodecim.
Solvantur seorsim in duplo Aquae ferventis. Soluta filtrata in lebete stanneo commisceantur atque continue agitentur spathula lignea. Post ebullitionem per horae quadrantem, mixtura diluatur Aqua fervida, et per linteum coletur. Magnesia in linteo remanens edulcoretur, et leni calore perfecte siccetur.

Magnesia sulphurica.

(*Sal amarum.*)

Magnesiam sulphuricam satis puram dat Sal Saidschitzense genuinum. At quae, sub Salis anglici nomine ad nos venit, depuratione indiget; quae fit, eam in Aquae fervidae pari pondere solvendo, filtrando et in crystallos redigendo.

Magnesia usta.

Magnesia carbonica in crucibulo tecto, igne fortiori, uratur per horam. Frigefacta in vitro obturato servetur.

Mel despumatum.

℞. Mellis communis Libras sedecim,
Aquae communis Libras octo.

Coquantur in vase stanneo, et spuma in superficie orta auferatur cochleari, foraminibus parvis instructo Coletur per manicam, e panno confectam, et inspissetur ad Syrupi spissitudinem.

Mel rosatum.

℞. Florum Rosarum incarnatarum siccatarum
Uncias octo.

Affunde
Aquae communis fervidae Libras quatuor.
Macera per noctem, cola et cum
Mellis despumati Libris octo,
leni igne, ad Syrupi spissitudinem coque.

Meloës majales melle conditae.

Meloës, Proscarabaei vel majales, mense Aprili aut Majo lectae, ea cautione adhibita, ne quid perdatur Liquoris, sub tactu vel lenissimo hujus insecti facile effluentis, Melli immergantur, capitibus antea vivis adhuc decerptis, et in vase rite clauso serventur.

Mixtura camphorata.

(Julep e Camphora.)

℞. Camphorae Drachmam unam,
Sacchari albi Unciam dimidiam,
Aquae destillatae ferventis Uncias decem.

Camphoram, Spiritus Vini rectificatissimi ope pulverisatam, tere cum Saccharo; deinde Aquam sensim affunde, et Mixturam, postquam refrixerit, in vase tecto cola et serva.

Mixtura oleoso-balsamica.

(Balsamus Vitae Hoffmanni.)

℞. Olei Lavendulae,
Majoranae,
Caryophyllorum,
Macis,
Cinnamomi,
de Cedro, singulorum Scrupulum unum,
Rutae,
Succini rectificati, singulorum Guttas decem,
Balsami Peruviani Drachmam dimidiam,
Spiritus Vini rectificatissimi Uncias decem.

Mixta committantur digestioni frigidae et filtrentur per gossypium.

Mixtura pyro-tartarica.

(Mixtura simplex.)

℞. Spiritus Angelicae compositi Uncias duodecim,
Liquoris pyro-tartarici Uncias octo,

Mixtis sensim instilla
Acidi sulphurici concentrati rectificati Unciam unam.

Serva.

Mixtura sulphurico - acida.

(Elixir acidum.)

℞. Spiritus Vini rectificatissimi Uncias tres.
Successive instilletur
Acidi sulphurici concentrati rectificati Uncia una.

Serva.

Mixtura vulneraria - acida.

(Aqua vulneraria Thedenii.)

℞. Aceti crudi Libras tres,
Spiritus Vini rectificati Libram unam cum dimidia,
Acidi sulphurici diluti Libram dimidiam,
Mellis despumati Libram unam.

Misce.

Natrum aceticum.

(Terra foliata Tartari crystallisata.)

℞. Natri carbonici quantum vis,
Aceti destillati quantum ad saturationem requiritur.

Liquor filtratus et in vase stanneo ad crystallisationis momentum evaporatus, loco seponatur temperato. Crystallos natas collige et serva.

Natrum

Natrum carbonicum Crystallisatum.

(*Alkali minerale. Sal Sodae.*)

℞. Natri, quale sub nomine Sodae prostat, quantum placet.

Contritum solvatur in Aqua fervida. Lixivium filtratum et ad crystallisationis punctum evaporatum, seponatur loco frigido, ut crystallos demittat, quae tam diu colligantur, quam purae prodeunt.

Natrum carbonicum siccatum.

Crystallos Natri carbonici, grossiuscule tritas, aprico aut moderato hypocausti calori, expone, donec in pulverem perfecte siccum fatiscant.

Natrum phosphoricum.

(*Soda phosphorata.*)

Acido phosphorico ex Ossibus, de quo suo loco, cujus depuratione per Spiritum Vini ad hunc finem supersedere licet, Aquae calidae Octuplo diluto, addatur sensim

Natri carbonici, in Aqua soluti,

donec hoc aliquatenus praevaleat. Liquor filtratus ad crystallisandum evaporet. Crystalli collectae in vase clauso serventur.

Natrum sulphuricnm crystallisatum.

(*Sal mirabile Glauberi.*)

Residuum salinum, ex destillatione Acidi muriatici obtentum, conteratur, et in Aqua communi coctione solvatur; addendo Natri carbonici, quantum requiritur ad perfectam saturationem Acidi, plerum-

que adhuc praevalentis. Liquor salinus filtratus evaporet, et loco frigido ad crystallisandum seponatur.

Simili modo Lixivium, praecipitatione Magnesiae, Natro carbonico adhibido, obtentum, dat Natrum sulphuricum, evaporando et crystallisando.

Natrum sulphuricum siccatum.

Paratur uti Natrum carbonicum siccatum.

Oleum Absinthii aethereum.

℞. Summitatum Absinthii vulgaris, cum Semine fere maturo, modice siccatarum, Libras duodecim,
Aquae communis Octuplum.

Fiat destillatio ex vesica, sub continua aquae ebullitione, quamdiu Aqua Oleo gravida prodit. Obtentum Oleum separetur. Aqua stillatitia supra novam Absinthii copiam, addendo Aquae communis quantitatem sufficientem, destillet, et Oleum auferatur: haec operatio toties repetatur, donec Olei desiderata quantitas obtenda fuerit.

Eodem modo parantur:

Oleum Baccarum Juniperi;
Corticum Aurantiorum;
Florum Lavendulae;
Herbae Majoranae;
Menthae crispae;
Menthae piperitae;
Origani cretici;
Roris marini;
Sabinae;

Oleum Radicis Valerianae minoris;
Seminis Anisi;
Carvi;
Cumini;
Foeniculi.

Oleum Absinthii coctum.

℞. Herbae Absinthii recentis contusae Libram unam,
Olei Olivarum Libras tres.

Coquantur in aheno cupreo leni calore, donec humidum exhalatione consumtum sit. Oleum exprime, cola et serva.

Similiter parentur:

Oleum coctum Chamomillae vulgaris;
Hyoscyami;
Hyperici.

Oleum Amigdalarum.

Ex Amygdalis recentibus contusis et cilicio inclusis, praeli laminis, in Aqua fervente tepefactis, exprime Oleum.

Eadem methodo parentur:

Oleum Seminis Lini;
Ricini, demto antea cortice.

Oleum animale aethereum.

(*Oleum animale Dippellii.*)

℞. Olei animalis foediti, quantum placet.

Infundatur cucurbitae vitreae, ope infundibuli vitrei, ne cucurbitae latera inquinentur. Tum, alembico et vase recipiente bene lutatis, fiat tam diu destillatio, lenissimo balnei arenae calore, quam Oleum tenue elicitur. Oleum hoc rectificatum cautione eadem cucurbitae novae cum Aquae quadruplo infundatur, & applicato alembico ac vase recipiente purissimo, blando colore iterum destillet, dum limpidissimum, aquae instar, apparet. Immittatur illico lagenulis vitreis, exacte obturatis et sub aqua demersis.

Oleum animale foetidum.

(*Oleum Cornu Cervi foeditum.*)

Simul obtinetur cum Ammonio carbonico pyro-oleoso, encheiresi suo loco praescripta.

Oleum Anisi sulphuratum.

(*Balsamum Sulphuris anisatum.*)

℞. Sulphuris puri Unciam dimidiam,
Olei Amygdalarum Uncias duas.

In vase terreo satis capaci, in arenam collocato, calefiant, spathula continue agitando, donec in massam homogeneam coëant; tunc adde

Olei Anisi Uncias sex.

Digerendo soluta serva.

Oleum Cacao.

(*Bûtyrum Cacao.*)

Exprimatur ex Seminibus Cacao leniter tostis, a corticibus liberatis et grossiuscule contusis, ope torcularis, cujus laminae in aqua fervida calefactae sint. Oleum butyraceum cum Aquae duplo digeratur in arenae balneo donec a faecibus purgatum sit. Frigefactum ab aqua separetur et servetur.

Oleum Caryophyllorum.

℞. Caryophyllorum aromaticorum Libras duas.
Contusis et retortae vitreae immissis affundatur
Aquae communis Octuplum,
et fiat destillatio ex arena ad dimidium. Oleum elicitum, cum Aqua destillans et subsidens, separetur. Aqua vero eadem Caryophyllis iterum affundatur, atque denuo destillet, et Oleum obtentum cum priori servetur.

Eodem modo parentur:

Oleum Cinnamomi, e Cassia cinnamomea;
Macis.

Oleum Cerae.

℞. Cerae flavae rasae,
Calcariae ustae pulveratae singulorum Libram unam.
Fiat destillatio e retorta vitrea, arenae balneo immissa.
Oleum elicitum nova destillatione supra
Calcariae ustae Libram dimidiam
rectifica.

Oleum Chamomillae aethereum.

℞. Florum Chamomillae vulgaris sine Stipitibus, modice siccatorum, Libras sexaginta.

In vesicam destillatoriam immissas impraegna

Olei de Cedro Uncia una;

adde

Aquae communis, quantitatem sufficientem, et fiat destillatio. Oleum, saturato colore caeruleo ac specifica Chamomillae fragrantia praeditum, ab Aqua stillatitia separa ac serva.

Nota. *Ob lentam Olei Chamomillae fluiditatem, qua illius separatio ab Aqua, cum qua stillavit, impeditur, hanc modicam Olei de Cedro copiam adhibere licet.*

Oleum Galbani aethereum.

℞. Galbani Libras duas,

Aquae communis Octuplum.

Fiat destillatio e retorta vitrea, in arenae balneum recondita, ad dimidium. Oleum limpidum Aquae destillatae innatans collige et serva.

Oleum laurinum unguinosum.

E Lauri Baccis recentibus expressione, vel coctione in Aqua, obtinetur. Quum vero nostro sub coelo Baccae Lauri maturae raro obveniant, adhibendum est Oleum ex Hispania et Italia allatum. Sit rancoris expers, spissitudinis butyracae, coloris viridis, et odore laurino proprio praeditum.

Oleum Lini sulphuratum.

(Balsamum Sulphuris simplex.)

℞. Olei Lini Uncias octo,

Sulphuris puri Uncias duas.

In vase terreo capaci arena circumdato detineantur supra lenem ignem, spathula semper movendo, donec in unum coëant.

Oleum Nucistae.

℞. Nucum moschatarum, quantum vis.

Contusas, et sacculo cannabino inclusas, aquae bullientis vapore impraegna, et prelo, laminis aqua fervida calefactis, exprime Oleum.

Oleum Ovorum.

℞. Ovorum recentium, coctione in Aqua duratorum, quantum vis.

Vitelli exemti in sartagine munda leni calore agitentur ope pistilli lignei, donec rufescant et pinguedinem sudare incipiant; tum, sacculo cilicino inclusos, prelo subjice. Oleum expressum in vitro obturato serva.

Oleum Succini.

Oleum destillatione Acidi succinici obtentum, cum Aquae Sextuplo mixtum, ex retorta vitrea destillando rectifica et serva.

Oleum Terebinthinae.

℞. Terebinthinae communis clarae quantum vis.

Post affusam Aquae communis sufficientem quantitatem, destillationi tam diu subjice, quam prodit Oleum.

Oleum Terebinthinae sulphuratum.

(Balsamum Sulphuris therebinthinatum.)

℞. Olei Lini sulphurati Uncias duas,
Terebinthinae Uncias sex.

Solve digerendo.

Oxymel Aeruginis.

(Unguentum aegyptiacum.)

℞. Aeruginis pulveratae Uncias tres,
Aceti crudi Libras duas.

Coque, donec Aceti tertia circiter pars supersit. Filtra et adde

Mellis despumati Libras duas.

Evaporent ad Libras duas.

Oxymel scilliticum.

℞. Aceti scillitici Libram unam,
Mellis despumati Libras duas.

In vase stanneo coquantur ad mellis liquidi consistentiam.

Oxymel simplex.

℞. Aceti crudi Libram unam,
Mellis despumati Libras duas.

Misce et in lebete stanneo coque ad mellis liquidi spissitudinem.

Pasta Althaeae.

℞. Radicis Althaeae mundatae, grossiuscule concisae,
Uncias quatuor.

Affundantur
Aquae fervidae Librae octo.
Stent per noctem. In colatura solvantur
Gummi Mimosae electi,
Sacchari albissimi, singulorum Librae duae.
Colentur et, continue spathula lignea agitando, evaporent leni calore ad mellis spissitudinem. Massa ab igne remota agitetur multum ac celeriter, ut albescat; cui subinde admisce
Albumina Ovorum recentium, in spumam quassata, Numero duodecim,
Aquae Florum Aurantii Uncias duas.
Detineatur adhuc per breve tempus super ignem, tandem effundatur in capsulas papyraceas, et loco calido penitus exsiccetur. In taleolas scissa servetur.

Pasta Liquiritiae.

℞. Radicis Liquiritiae decorticatae, grossiuscule concisae, Uncias quatuor.
Macera per noctem in
Aquae fervidae Libris octo.
In infuso colato solvantur
Gummi Mimosae electi librae duae cum dimidia,
Sacchari albissimi Libra una cum dimidia.
Colatura, leni igne, sine agitatione, et caute evitando empyreuma, evaporet, donec gutta disco vitreo frigido instillata, gelatinae instar appareat. Tunc detracta pellicula effunde in cistulas planas, e laminis ferreis stanno

obductis paratas, et tantillo Olei Amygdalarum inunctas. Pastam modico calore sufficienter exsiccatam, et in taleolas scissam, serva.

Phosphorus.

Acidum phosphoricum, ad siccum evaporatum, exacte misceatur cum dimidio pondere Pulveris Carbonum. Mixta ingerantur in retortam terream loricatam. Applicetur vas recipiens, tubulo parvo in parte superiori instructum, et sufficiente Aquae copia repletum. Juncturis optime clausis fiat destillatio, igne furni anemii aperto et gradatim aucto.

Phosphorus elicitus, si nondum satis purus appareat, iterum destillet e retorta vitrea, blando arenae calore, in excipulum, sufficienti Aquae quantitate repletum.

Pilulae ex Resina Jalappae.

(*Pilulae purgantes.*)

℞. Saponis jalappini Partes tres,
Hydrargyri muriatici mitis, partem unam.
Misce, fiat Massa pilularis.

Plumbum aceticum.

(*Saccharum Saturni depuratum.*)

Plumbum aceticum, quale prostat, solvatur in Aqua destillata calida. Solutum filtretur et loco frigido ad crystallisandum seponatur. Liquor remanens evaporet ad dimidium, ut denuo crystallos demittat.

Pulpa Cassiae.

℞. Fistularum Cassiae, quantum vis.

Medullam cum seminibus et dissepimentis e fistulis diffractis, cultelli eburnei ope exemtam, macera in Aqua calida, tere per cribrum setaceum, et blando calore ad requisitam consistentiam evapora. Singulis Pulpae Libris tunc admisce.

Sacchari albi pulverati Uncias duas.

Pulpa Prunorum.

Fructus Pruni domesticae maturi, exemtis nucleis, coquantur ex Aqua ad mollitiem. Liquidum per cribrum setaceum trajectum evaporet ad requisitam spissitudinem. Singulis Pulpae Libris addantur.

Sacchari albi pulverati Unciae duae.

Pulpa Tamarindorum.

Eodem modo e medulla Fructuum Tamarindi orientalis paranda est.

Pulvis aromaticus.

℞. Cassiae cinnamomeae Uncias duas,
Cardamomi minoris excorticati,
Zingiberis,
Piperis albi, singulorum Unciam unam.

Misce fiat Pulvis.

Pulvis dentifricius.

℞. Pulveris Tartari depurati Uncias quatuor,
Radicis Iridis Florentinae Uncias duas,
Myrrhae,
Sanguinis Draconis, singulorum Unciam unam,
Olei Caryophyllorum, Guttas quadraginta.

Misce.

Pulvis gummosus.

(Loco *Specie um Diatragacanthae.*)

℞. Pulveris Gummi Mimosae Uncias duas,
Tragacanthae,
Radicis Liquiritiae, singulorum Unciam unam,
Sacchari albi Uncias duas.

Misce.

Pulvis Ipecacuanhae compositus.

(*Pulvis Doweri.*)

℞. Kali sulphurici Unciam unam,
Opii pulverati,
Radicis Ipecacuanhae pulveratae, singulorum Drachmam unam.

Misce exacte.

Nota. *Pulveris hujus Grana decem continent Opii Granum unum.*

Pulvis Liquiritiae compositus.

(*Pulvis pectoralis.*)

℞. Pulveris Radicis Liquiritiae,
Foliorum Sennae, singulorum Uncias duas.

Pulveris Seminis Foeniculi,
Sulphuris depurati, singulorum Unciam unam,
Sacchari albi Uncias sex.

Misce.

Pulvis opiatus.

℞. Pulveris gummosi Drachmas novem,
Opii Drachmam unam.

Misce exacte.

Nota. *Pulvis opiatus in Granis decem continet Opii Granum unum.*

Pulvis Rhei compositus.

℞. Kali sulphurici pulverati Uncias duas,
Rhei pulverati Unciam unam,
Ammonii muriatici Unciam dimidiam.

Misce.

Pulvis sternutatorius.

℞. Herbae Majoranae Uncias tres,
Mari veri,
Florum Liliorum convallium,
Radicis Iridis Florentinae, singulorum Unciam unam.

Misce fiat Pulvis.

Pulvis stibiatus.

(Loco *Pulveris resolventis simplicis.*)

℞. Kali sulphurici Uncias quatuor,
nitrici,
Stibii oxydati albi abluti, singulorum Uncias duas.

Misce.

Pulvis temperans.

℞. Kali sulphurici,
nitrici, singulorum Par pondus.
Misce.

Resina Jalappae.

℞. Radicum Jalappae quantum vis.

In pulverem crassiusculum redactis affunde
Spiritus Vini rectificati, quantum satis, ut Radices contegat.

Digerantur leni calore per horas quadraginta octo. Exprimantur Radices, et alia Spiritus quantitate denuo digerantur per horas viginti quatuor.

Ex tincturis commistis et filtratis, post additam Aquae quartam circiter partem, e balneo aquae destillando eliciatur Spiritus Vini. Resina subsidens abluatur Aqua fervida, et exsiccetur in aquae balneo.

Resina Ligni Guajaci.

Eadem methodo paranda est.

Sapo guajacinus.

Lixivio Kali caustici, duplo Aquae diluto, et leniter ebullienti, sub continua agitatione, insperge successive,

Pulveris Resinae Guajaci nativae,
quantum illo solvi potest. Liquorem cola et leni calore ad Massae pilularis consistentiam inspissa.

Sapo jalappinus.

℞. Resinae Jalappae,
Saponis medicati, singulorum Uncias duas.
Spiritus Vini rectificati, quantum requiritur,
ut solvantur leni digestione. Tum ad Massae pilularis consistentiam evapora.

Sapo medicatus.

℞. Natri carbonici crystallisati,
Calcariae ustae, singulorum, Libras quatuor,
Aquae libras viginti.
Ebulliant semel. Liquor causticus, per linteum colatus et in vase clauso subsidendo depuratus, evaporet, donec ejus Unciae octo compleant vas, quod capax foret Unciarum sex aquae communis. Liquori frigefacto in vase figulino admisce
Olei Olivarum optimi Duplum.
Seponatur vas loco temperato, et agitetur massa per vices spathula lignea, donec homogenea appareat et spissescere incipiat. Effundatur tum in cistas ligneas planas; Indurata scindatur in taleolas, loco temperato exsiccandas.

Sapo stibiatus.

(*Sapo antimonialis.*)

℞. Sulphuris stibiati aurantiaci Unciam unam.
Solve digerendo in sufficiente quantitate
Liquoris Kali caustici.
In liquido, triplo Aquae destillatae diluto, dissolve.
Saponis medicati rasi Uncias sex.

Evaporent leni igne ad Massae pilularis consistentiam; addendo, si massa adhuc rubet, tantum

Liquoris Kali caustici, quantum satis est, ut colorem ex albido cinereum induat.

Species aromaticae.

(Loco *Specierum pro cucuphis.*)

℞. Herbae Majoranae,
Menthae piperitae,
Roris marini,
Serpylli,
Florum Lavendulae, Singulorum Uncias duas.
Caryophylorum,
Cubebarum, singulorum Unciam unam.

Misce, fiat Pulvis grossiusculus.

Species ad Cataplasma.

℞. Herbae Malvae,
Meliloti,
Florum Chamomillae vulgaris,
Radicis Althaeae,
Seminis Lini, singulorum Partes aequales.

Fiat Pulvis.

Species ad Decoctum Lignorum.

℞. Ligni Guajaci Libras duas,
Radicis Bardanae,
Saponariae, singularum Libram unam,
Liquiritiae,
Ligni Sassafras, singulorum Libram dimidiam.

Concisa misceantur.

Species.

Species ad Enema.

℞. Herbae Althaeae Libras duas,
Florum Chamomillae vulgaris Libram unam,
Seminis Lini Libram dimidiam.
Concisa et contusa misce.

Species ad Fomentum.

℞. Strobilorum Lupuli Libram unam,
Florum Chamomillae vulgaris,
Lavendulae,
Herbae Roris marini,
Serpylli,
Tanaceti, singulorum Uncias tres.
Concisa misce.

Species ad Gargarisma.

℞. Herbae Althaeae,
Salviae, singularum Uncias sex.
Florum Sambuci,
Radicis Pimpinellae albae, singulorum Uncias, tres.
Concisa misce.

Species ad Infusum pectorale.

℞. Radicis Althaeae Uncias quatuor,
Liquiritiae,
Herbae Farfarae,
Chenopodii ambrosioidis, singularum Uncias duas,

Florum Rhoeados,
Verbasci, singulorum Unciam unam,
Concisa misceantur.

Species resolventes externae.

℞. Herbae Absinthii,
Menthae piperitae,
Origani vulgaris, singularum Uncias quatuor,
Florum Chamomillae vulgaris,
Lavendulae,
Sambuci, singulorum Uncias duas.
Concisa misce.

Species ad suffiendum.

(*Species pro Fumo.*)

℞. Baccarum Juniperi,
Olibani,
Benzoës,
Succini, singulorum Libram dimidiam,
Corticum Cascarillae,
Florum Lavendulae,
Rosarum rubrarum, singulorum Uncias duas.
Concisa et contusa misce.

Spiritus Angelicae compositus.

(Loco *Spiritus theriacalis.*)

℞. Radicis Angelicae Libram unam,
Herbae Scordii Libram dimidiam,

Radicis Valerianae,
Baccarum Juniperi, singularum Uncias tres,
Spiritus Vini rectificati Libras sex,
Aquae communis quantum satis.

Destillando eliciantur Librae sex. In quibus solve.
Camphorae Unciam unam cum dimidia.
Serva.

Spiritus camphoratus.

℞. Camphorae Unciam unam,
Spiritus Vini rectificati Libram unam.

Stent loco frigido, donec camphora fuerit soluta.

Spiritus Cochleariae.

℞. Cochleariae florescentis Libras duodecim.
Contusis affunde
Spiritus Vini rectificati Libras sex,
Aquae communis, quantum satis.
Destillent Librae sex.

Spiritus Formicarum.

℞. Formicarum viventium, a quisquiliis mundatarum
Libras duas,
Spiritus Vini rectificati,
Aquae communis, singulorum Libras quatuor.
Destillando elice leni igne Libras quatuor.

Spiritus Lavendulae.

℞. Florum Lavendulae siccatorum Libram unam,
Spiritus Vini rectificati Libras quatuor,
Aquae communis, quantum satis.
Post macerationem per viginti quatuor horas destillando eliciatur Spiritus.

Eodem modo parandi sunt:

Spiritus Roris marini;
Serpylli.

Spiritus Mastiches compositus.

(Spiritus matricalis.)

℞. Mastiches,
Myrrhae,
Olibani, singulorum Uncias tres,
Spiritus Vini rectificati Libras sex.
Macera per horas viginti quatuor, et destillando elice Libras quatuor cum dimidia.

Spiritus muriatico - aethereus.

(Spiritus Salis dulcis.)

℞. Natri muriatici Uncias sedecim,
Manganesii oxydati nativi Uncias sex.
In retortam immissis adde
Acidi sulphurici concentrati Uncias duodecim,
antea cum
Spiritus Vini rectificatissimi Unciis quadraginta octo,
mixtas. Destillent Unciae triginta sex.

Spiritus nitrico-aethereus.

(*Spiritus Nitri dulcis.*)

℞. Spiritus Vini rectificatissimi Uncias viginti quatuor,
Acidi nitrici Uncias sex.
Destillent ex retorta, igne lenissimo, Unciae viginti.
Spiritum elicitum supra
Magnesiae ustae Unciam dimidiam
rectifica.

Spiritus saponatus.

℞. Saponis Hispanici rasi Libram unam,
Spiritus Vini rectificati Libras tres,
Aquae Rosarum Libram unam.
Digere et filtra.

Spiritus sulphurico-aethereus.

(*Liquor mineralis anodinus.*)

℞. Aetheris sulphurici Partem unam,
Spiritus Vini rectificatissimi Partes tres.
Misce et serva.

Spiritus sulphurico-aethereus martiatus.

(*Liquor anodinus martialis.*)

℞. Ferri puri limati quantum placet.
Solve in quantitate sufficiente
Acidi muriatici

cum quarta parte
Acidi nitrici
mixti, et evapora. Massam siccam in cellam repone, ut in Liquorem coloris fusci saturati deliquescat.

Liquorem obtentum cum
Aetheris sulphurici Duplo
misce conquassando. Aetherem, hoc modo Ferro soluto impraegnatum, separa et cum
Spiritus Vini rectificatissimi Duplo
misce. Mixtum in vitris oblongis bene obturatis radiis solis tam diu expone, donec color omnis evanuerit. Tum sollicite serva.

Spiritus Vini rectificatus.

Spiritus Vini, uti prostat, bonae tamen notae, fermentatione vinosa et subsequente destillatione, e Frumento, Succo Uvarum, aut quocunque Vegetabili alio obtentus, rectificetur, tam diu, quam aquae expers prodit.

Spiritus Vini rectificatissimus.

Spiritus Vini rectificatus iterum ex aquae balneo tam diu destillet, quam gossypium, Spiritu stillante madefactum et accensum, post Spiritus deflagrationem in cinerem vertatur.

Spongia cerata.

Spongiae marinae tenues mundatae et exsiccatae immergantur Cerae flavae liquefactae, ac prelo fortiter exprimantur, et ubi refrixerint, serventur.

Stibium oxydatum album ablutum.

(*Antimonium diaphoreticum ablutum.*)

Stibio oxydato albo non abluto, de quo infra, affunde Aquae fervidae Decuplum; agita ut solvantur salia illi adhaerentia; instilla

Acidi sulphurici diluti quantum satis,

ut saturetur Kali partem Stibii oxydati solutam in se continens. Pulverem album, in fundo vasis collectum, perfecte ablue, et affusa aqua alia, a parte crassiori decanthando libera, sicca et serva.

Stibium oxydatum album non ablutum.

(*Antimonium diaphoreticum non ablutum.*)

℞. Stibii sulphurati nigri Libras quatuor,
Kali nitrici Libras decem.

Pulverata et mixta injiciantur successive in crucibulum amplum et leviter candens; partem stibii oxydulatam, lateribus crucibuli superioribus adhaerentem, sollicite immiscendo. Detonatione peracta massa adhuc per semihoram candescat; tunc cochleari ferreo eximatur. Refrigerata teratur in pulverem, vitro obturato servandum.

Stibium oxydulatum fuscum.

(*Crocus Metallorum.*)

℞. Stibii sulphurati nigri,
Kali nitrici siccati, singulorum Par pondus.

Pulverata et mixta in olla ferrea munda accendantur, pruna admota. Post detonationem massa refrigerata in pulverem redigatur, Aqua fervida sedulo edulcoretur, et siccetur.

Stibium purum.

(Regulus Antimonii.)

℞. Frustulorum Ferri puri Uncias sex.

Crucibulo satis capaci inde, ac igne intenso furni anemii urge, ut candescant; tunc adde

Stibii sulphurati nigri grossiuscule comminuti Uncias octodecim.

Liquescant; liquatis sensim injice

Kali nitrici, quam maxime sicci, Uncias quatuor, ac ubi aquae instar fluxerint, effunde in conum fusorium, lenitur concutiendum; quo subsidat Metallum reductum. Hoc refrigeratum a scoriis separa, et in pulverem redige. Admisce

Kali nitrici pulverati, quam maxime sicci, Partem octavam;

tunc igne validiori colliqua et in conum fusorium transfunde. Post refrigerationem Metellum purum a scroriis separa.

Stibium sulphuratum nigrum laevigatum.

(Antimonium crudum praeparatum.)

Stibium sulphuratum nigrum electum, in mortario ferreo contritum, super lapidem expolitum et durum, affusa paululum Aqua, laevigetur, ut fiat pollen subtilissimum, loco tepido siccandum.

Succus Dauci inspissatus.

(Roob Dauci)

Radices Dauci sativi recentes mundatas et concisas, dimidio Aquae superfusas, in lebete stanneo coque, ut mollescant. Exprime Succum, quem semel ebuliendo clarifica, et leni calore ad mellis consistentiam evapora.

Succus

Succus Juniperi inspissatus.

(Roob Juniperi.)

Baccae Juniperi maturae recentes conquassatae coquantur ex Aqua communi, donec mollescant; tum modice exprimantur. Succus expressus ad consistentiam mellis calore moderato inspissetur.

Succus Liquiritiae depuratus.

Succus Liquiritiae spissatus venalis, in frustula diffractus, maceretur in Aqua fervida, ut solvatur. Solutum, per pannum laneum colatum, leni igne inspissetur ad extracti durioris densitatem.

Succus Sambuci inspissatus.

(Roob Sambuci).

℞. Succi e Baccis Sambuci nigri maturis expressi et defaecati Libras Octo.
Sacchari albi Libram dimidiam.
Modico igne coquantur ad mellis spissitudinem.

Sulphur depuratum.

(Flores Sulphuris.)

Sulphur sublimatum, quale prostat, Aqua fervida ab Acido adhaerente perfecte libera, et siccatum serva.

Sulphur praecipitatum.

(Lac Sulphuris.)

℞. Liquoris Kali caustici, quantum placet.
Ferventi in sartagine ferrea per vices adde:

Sulphuris depurati,
quantum Liquor causticus valet solvere. Liquori per chartam colato, et cum triplo Aquae mixto, instilla
Acidi sulphurici diluti,
quantum ad praecipitandum Sulphur requiritur; caute vitando Gas suffocans inde natum. Praecipitatum Aqua sedulo ablue et sicca.

Sulphur stibiatum aurantiacum.

(Sulphur Antimonii auratum.)

℞. Stibii sulphurati nigri laevigati.
Sulphuris depurati, singulorum Libram unam,
Liquoris Kali caustici, quantum requiritur.
Mixta coque in lebete ferreo, continue spathula movendo, et Aquam evaporatione consumtam interdum restituendo, usque dum pene dissoluta sint. Liquori, Aqua fervida diluto, et per chartam colato, successive adde
Acidi sulphurici diluti,
quantum sufficit ad praecipitandum; evites vero sedulo Gas noxium, in hac operatione emergens. Post horas viginti quatuor Aqua supernatans decanthetur, Praecipitatum Aqua tepida abluatur, denique lenissimo calore in loco umbroso siccetur, et servetur.

Sulphur stibiatum, rubeum.

(Kermes minerale.)

℞. Stibii sulphurati nigri Libras duas,
Natri carbonici sicci Libram unam.
Pulverata et mixta liquefiant in crucibulo, igne moderato. Massam fluentem effunde, refrigeratam pulverisa, in Aquam fervidam ingere, et per horae quadrantem,

spathula continue movendo, decoque. Liquorem etiamnum fervidum filtra. Refrigeratum a praecipitato sponte nato filtri ope separa, Stibio residuo reaffunde, addita Aquae portione denuo per quadrantem horae coque et filtra; et hanc operationem bis vel ter itera. Praecipitatum rubicundum leve, his laboribus genitum, Aqua tepida ablue, in loco umbroso exsicca et serva.

Syrup Althaeae.

℞. Radicis Althaeae decorticatae Uncias quatuor.
Aquae communis Libras tres.
Coque, ut Unciae viginti septem supersint. In Decocto colato dissolve
Sacchari albi libras quatuor.
Fiat ebullitione unica Syrupus.

Syrupus Amygdalarum.

(*Syrupus emulsivus.*)

℞. Amygdalarum dulcium Uncias octo.
amararum Uncias duas.
Decorticatis et in mortario lapideo pistilli lignei ope contusis sensim adde
Aquae communis Libras duas,
Florum Aurantii Uncias duas,
In Emulsionis colatae Unciis viginti solve
Sacchari albissimi Libras tres.
Colore lenissimo fiat Syrupus.

Syrupus Berberum.

℞. Fructuum Berberum maturorum, quantum placet.
Conquassati stent per dies tres, tum exprime Succum.
Hujus Succi, defaecatione depurati, Unciis viginti adde

Sacchari albi Libras tres.
Semel ebulliendo in lebete stanneo fiat Syrupus.

Eodem modo parentur:

Syrupus Cerasorum, ex Succo Cerasorum acidorum;
Mororum, ex Succo Fructuum Mori nigri;
Ribium;
Rubi Idei;
Succi Citri, (*Syrupus Acetositatis Citri.*)

Syrupus Cinnamomi.

℞. Cassiae cinnamomeae, in pulverem grossiusculum redactae, Uncias duas,
Aquae Cinnamomi vinosae Libram unam,
Rosarum Uncias duas.

Digerantur in vase clauso loco tepido per biduum. In Unciarum undecim colatura calore blando solve
Sacchari albi Libram unam cum dimidia,
ut fiat Syrupus.

Syrupus Corticum Aurantiorum.

℞. Corticum Aurantiorum siccatorum, et a substantia medullari mundatorum, Uncias quatuor.

Concisis affunde
Vini albi gallici Libras duas.

Digere per biduum vase clauso. Exprime. Unciis viginti post colaturam remanentibus adde

Sacchari albi Libras tres.

Semel ebulliendo fiat Syrupus.

Syrupus Florum Aurantii.

℞. Aquae Florum Aurantii Uncias decem,
Sacchari albi Libram unam cum dimidia.

Fiat Syrupus.

Syrupus Liquiritiae.

℞. Radicis Liquiritiae concisae Uncias octo,
Aquae communis ferventis Libras tres.

Post macerationem coque leniter per quadrantem horae. Liquor expressus evaporet, donec supersint Unciae quatuordecim; quibus adde

Sacchari albi,
Mellis despumati, singulorum Libras duas.

Ebullitione unica fiat Syrupus.

Syrupus Mannae.

℞. Foliorum Sennae Uncias quatuor,
Seminis Foeniculi Unciam dimidiam,
Aquae fervidae Libras duas.

Stent in vase clauso per aliquot horas. In Liquoris expressi et colati Unciis septemdecim solve

Sacchari albi Libras duas,
Mannae Libram dimidiam.

Ebulliant semel, ut fiat Syrupus.

Syrupus opiatus.

(Loco *Syrupi Diacodion*)

℞. Extracti Opii Grana viginti quinque,
Vini Malacensis Unciam unam.
Solutis admisce
Sirupi Liquiritiae Uncias viginti quatuor.

Nota. *Uncia una hujus Syrupi continet Granum unum Extracti Opii.*

Syrupus Rhei.

℞. Rhei concisi Uncias tres,
Cassiae cinnamomeae Drachmas sex.
Kali carbonici Drachmas duas.
Affunde
Aquae bullientis Libras duas.
Digere per noctem. Colaturae Unciarum viginti adde
Sacchari albi Libras tres,
et fiat Syrupus.

Syrupus Rhoeados.

℞. Florum Rhoeados recentium Libram unam,
Aquae communis fervidae Libras duas.
Macera per noctem. E colatura Unciarum viginti fiat cum
Sacchari albi Libris tribus,
ebullitione unica Syrupus.

Syrupus simplex.

℞. Sacchari albi Libras tres.
Solve in
Aquae communis Unciis viginti.
ut fiat Syrupus.

Syrupus Violarum.

℞. Florum Violae odoratae recentium, a calyculis mundatorum, Uncias Octo,
Aquae fervidae Libras duas.
Stent in vase stanneo per horas duodecim. Liquoris colati Unciis viginti adde
Sacchari albissimi Libras tres.
Ebullitione unica in vase stanneo, fiat Syrupus.

Tartarus ammoniatus.

(Tartarus solubilis ammoniacalis.)

℞. Pulveris Tartari depurati, quantum placet.
In vase stanneo
Aquae fervidae Octuplo
superfuso, adde per vices
Liquoris Ammonii carbonici,
quantum ad perfectam saturationem requiritur. Liquorem filtra et in vase vitreo aut porcellaneo balneo arenae commisso, calore leni et sub finem admodum moderato, evapora, et Sal siccum vitro obturato serva.

Tartarus boraxatus.

(Cremor Tartari solubilis.)

℞. Boracis Libram dimidiam.
In vase stanneo
Aquae bullientis. Decuplo,
solve et adde
Pulveris Tartari depurati Libram unam cum dimidia.
Solutione peracta Liquorem filtra, et in vase vitreo aut porcellaneo, arenae superimposito, calore sub finem exiguo, evapora. Sal siccum, in pulverem tritum, vitro clauso serva.

Tartarus depuratus.

(Cremor Tartari.)

Crystalli Tartari purificati venales explorentur, an ab inquinamentis metallicis et salibus heterogeneis sint liberae. Tum Aqua frigida abluantur, et iterum siccatae in mortario ferreo mundo et modice calefacto in pulverem terantur.

Tartarus natronatus.

(Sal Seignette.)

℞. Natri carbonici crystallisati quantum placet.
Solve in
Aquae fervidae Octuplo.
Lixivio in vase stanneo ebullienti sensim adde
Pulveris Tartari depurati, quantum satis ad saturandum.
Liquorem per chartam colatum evapora et ad crystallisandum sepone. Crystallos collectas et siccatas serva.

Tartarus stibiatus.

(Tartarus emeticus.)

℞. Tartari depurati triti,
Stibii oxydulati fusci, singulorum Uncias octo.
Mixta injiciantur in
Aquae communis Libras duodecim.
In vase vitreo aut porcellaneo, arenae commisso, ebulliant per horam et amplius. Calida adhuc filtrentur et ad crystallisationis momentum evaporata, per noctem seponantur. Liquor a crystallisatione residuus evaporet, ut denuo crystallos demittat. Crystallos collectas et siccatas simul in mortario lapideo, aut vitreo, tere in pulverem, vitro obturato asservandum.

Tere.

Terebinthina cocta.

Partem resinosam, quae ex destillatione Olei Terebinthinae remanet, ex aqua exemtam, aëri expone, donec indurescat.

Tinctura Absinthii.

℞. Summitatum Absinthii vulgaris siccatarum
Uncias sex.

Minutim concisis affunde
Spiritus Vini rectificati Libras tres.

Post sufficientem digestionem per triduum in cucurbita clausa, exprime et filtra.

Tinctura amara.

℞. Summitatum centaurii minoris,
Pomorum Aurantii immaturorum,
Radicis Gentianae, singulorum Uncias duas.
Zedoariae Unciam unam.

Concisis et contusis affunde
Spiritus Vini rectificati Libras tres.

Post digestionem exprime et filtra.

Tinctura aromatica.

℞. Cassiae cinnamomeae Uncias duas,
Cardamomi minoris,
Caryophyllorum,
Galangae,
Cingiberis, singulorum Unciam dimidiam.

Contusa digerantur
Spiritus Vini rectificati Libris duabus.

Filtra et serva.

Tinctura aromatica acida.

(Loco *Elixir Vitrioli Mynsichti*)

℞. Tincturae aromaticae Libram unam.
Instilla
Acidi sulphurici concentrati Unciam dimidiam.

Tinctura Asae foetidae.

℞. Asae foetidae Uncias duas,
Spiritus Vini rectificatissimi Libram unam.
Solve digerendo et filtra.

Eodem modo parentur:

Tinctura benzoës;
Myrrhae.

Tinctura Benzoës composita.

(Balsamum Commendatoris.)

℞. Benzoës Uncias tres,
Styracis in granis Unciam unam et dimidiam,
Aloes lucidae, Unciam dimidiam,
Balsami Indici nigri Unciam unam,
